



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologia Polemica**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Helvetiorvm, 1678**

Christus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

vitam & bonos mores attendi oporteat. Videri potest Forer in antiquo Papatu Part. 1. à fol. 683.

XVI. *Error secundus est.* Sacram Scripturam à Romanis vilipendi, tanquam matricem litigij inhonoratam, sub scamno negligi, tractati velut nasum cereum, regulam plumbeam, illius loco in omnibus Academijs & Cathedris doceri Platonem & Aristotelem, subtiles distinctiones Magistrum sententiarum, Seraphici Doctoris Aquinatis, & obscuri Scoti (ut nomen hujus sonat) sermones Discipuli, quorum titulus: dormi secure, & hujusmodi humanas inventiones, imò Sacræ Scripturæ falsa affingi v. g. Purgatorium, Indulgentias, Invocationem Sanctorum &c. Ita passim hæretici non solum scribunt in libris, sed etiam in pulpitis ac plateis clamitant, atque imperitæ plebi instillant absque alia ratione & probatione, solum ut Romanam Ecclesiam & Doctrinam apud suos faciant exosam.

XVII. Contra Errorem istum & apertissimam calumniam. Inprimis sunt Biblia Sacra maximis sumptibus antè tempora Lutheri in lucem edita cum glossis, Commentarijs, Concord. &c. Item ordinariæ Lectiões S. Scripturæ in Breviario, seu Horis Canonicis & Gradus Theologici, ac nominatim Baccalaureatus Biblici in Academijs. Deinde Magistri Sententiarum distinctiones nihil sunt aliud, quàm interpretatio Articulorum Fidei & Scripturæ Sacræ ex doctrina SS. Patrum. Summa S. Thomæ Aquinatis (quem nos non Seraphicum, sed Angelicum appellamus) est re ipsa methodicus Commentarius Sac. Scripturæ, dum S. Doctor omnia pro possibilitate in Sac. Scriptura fundat, & ad istam dirigit. Scotus (cujus nomen non obscurus, sed subtilis exponitur) pari modo nusquam Sac. Scripturam seposuit. Si Gerhardus, Amestius, Tobias Wagner, Meno Hanneken aliique Prædicantes atque istarum calumniarum fabri Catholicorum Scriptorum postillas ac homilias sacras (quæ ante Lutherum in magno numero fuerunt in lucem editæ ac impressæ) absque animi perturbatione imò perversione legisent, aut adhuc legerent, plus allegatæ ac declaratæ scripturæ in ijs reperirent, quàm in Concionibus Magistri sui Lutheri. Plato & Aristoteles jure meritissimo in Philosophia æstimantur, & habentur tanquam Magistri, atque ex eorum libris ea depromuntur, quæ ex lumine naturæ declarationi fidei seruire valent.

XVIII. Quare Lutherus Nos Romano-Catholicos non in Biblia tanquam librum ignotum ac sub scamno latentem vocavit; ut vanè spargunt hæretici, sed ad arma induenda adversus suam hæresin excitavit. Demum hæreticum convitium est, nos Catholicos Sacræ Fidei nostræ dogmata de Purgatorio, Indulgentijs, honorandis & invocandis Sanctis &c. Sacræ Scripturæ affingere. Nam hos fidei Articulos suum in Scripturis solidum habere fundamentum, abunde hætenus probaverunt Romani scriptores, idque nos suis locis faciemus. Nec aliud unquam Sectarij ostenderunt. Negare has veritates cum antiquis hæreticis poterunt: oppositum ex Sac. Scriptura, SS. Patribus, Concilijs & sanâ ratione probare nunquam valuerunt.

XIX. Restat quæstuncula; An Biblia ad Lutheranos à Catholicis venerint? Nolunt hodie admittre Sectarij, ut videre est in non-Catholico Papatu Jacobi Hailbrunner, ubi fol. 525. sic scri-

bit: *Nos habemus Biblia non à Papis Romanæ Ecclesiæ, sed ab ipso Deo &c.* Sed rudem discipulum corrigi ipsemet Magister Lutherus Tom. 4. Jen. p. 320. Et Tom. 6. Jen. p. 92. hisce Verbis: *Nos fatemur, quod sub Papatu multum Boni Christiani, imò omne Bonum Christianum sit, & unde pervenit ad nos; nempe veram Scripturam, verum Baptisimum &c. fatemur esse in Papatu.* Ecce quod discipuli negant, aperte affirmat Magister. Si ergo nostra sint Biblia, & in Ecclesia nostra Romano-Catholica ab Apostolis relicta fuerent tanquam pretiosum Depositum; nobilis Possessio, dives Hæreditas. Vos Lutherani & quivis alij Sectarij non habetis eadem Biblia, nisi furtim à votifrago Apostata Luthero exportata: nisi sacrilegè corrupta & vitata ab eod. Lutero Patre vestro: nisi impiè usurpata contra genuinum sensum; quem Spiritus Sanctus primitus intendit, ac semper hætenus retinuit; retinetque Sancta Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia. Videri possunt DD. à Walenburch Tom. 1. pag. 877. ubi ex Terulliano fuse ostendunt, possessionem Sac. Scripturarum Catholicis competere. Nos brevitati consulimus.

## CHRISTUS.

**I**N hac nobilissima Materia SS. Patres olim plurimum atq; utilissime laborarunt contra Samosethenes, Arianos, Nestorianos, Eutybianos, & alios veteres hæreticos, eorum errores solidissime refellendo & rejiciendo. Hodie cum Sectarij, in nostris saltem partibus, à Catholicis in plerisque parum dissideant; istis breviter expeditis, ea solum exactius tractabimus; in quibus idem à Catholica Ecclesia doctrina discedunt, suis quaque Controversijs complectendo.

## CONTROVERSIÆ VII.

### AN CHRISTUS SIT VÉRUS DEUS.

**I**N hac Consideratione copiosi sunt Theologi Scholastici cum S. Thoma in 1. & 3. Parte. ex quibus nos nonnulla libabimus & oppositos errores refutabimus. Nomen DEI intelligitur Ens, quo majus meliusque excogitari non potest, adeoque illimitatæ perfectionis, primum, à se ipso existens, à quo quidquid præterea existit, dependet non solum, ut à causâ Efficiente; sed etiam ut à Fine. Nomen verò Christi est græca vox, idemque quod *Unctus*, & secundum etymologiam non est nomen proprium, sed appellativum, quod pluribus convenit, præsertim Regibus & Prophetis, qui juxta ritum veteris testamenti inungebantur. At Jesus, de quo hic agimus, per antonomasiam vocatur Christus, Hebraicè Messias, quia non tantum extrinseco oleo, sed internâ abundantissima gratiâ, imò ipsâ Divinitate inunctus, & sanctificatus fuit.

PARS PRIOR.

DOCTRINA CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Est, siue existit DEUS. Probat<sup>ur</sup> 1. ex Sac. Scriptura. c. 13. Sapientia<sup>e</sup> v. 1. dicitur: *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest Scientia DEI, & de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neq. operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex.* Et paulo post v. 5. *à magnitudine species & creaturae, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Ad Rom. 1. v. 19. *quia quod notum est DEI, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit; invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq. ejus virtus & divinitas; ita ut sint inexcusabiles.*

II. Probat<sup>ur</sup> 2. à communi omnium populorum sensu; sic enim Chrysostomus Hom. 1. ad populum Antioch. scribit: *Creaturae tam clare suum Conditorem praedicant, ut neque Scythae neque Barbarus neque Indus neque ulla alia gens sit, quae hanc vocem omni tuba clariorem intelligere non possit.*

III. Probat<sup>ur</sup> 3. Ratione metaphysice evidente. Causa improducta existit. DEUS est haec causa improducta. Ergo DEUS existit. Major inde patet: Illud existit, sine quo impossibile est existere effectus novos vel contingentes, quos experimur evidentiâ tum physica tum metaphysica. Atqui sine Causa prima improducta impossibile est eos existere. Quod probatur. Si existunt sine causa prima improducta, vel casu incipiunt esse à se ipsis, & sibi dant existentiam; quod nemo sanus dixerit: vel producunt se mutuo, quod est aequè falsum, ac quod pictor & pictura, pedes & ambulatio, faber & scannum se mutuo faciant, sintque physicum & reale medium praesuppositum volutimque, ut absolute existens ad obtinendam simul sui & alterius existentiam, à quo eandem accipere debent: vel producuntur in infinitum ab alijs atque alijs causis. Itidem productis, quod pariter falsum est. Nam sic daretur infinitum actu in numero effectuum & causarum, quod esse chimericum, alibi demonstrat. Deinde tota illa collectio causarum producentium simul & productarum cum suis effectibus esset etiam producta, ut fingitur. Ergo ab alio improducto ab hac collectione adaequate distincto. Hoc Ens Improductum caeterorum omnium productivum est DEUS. Plures rationes afferunt Philosophi & Theologi cum S. Thom. 1. Part. 2. art. 3.

IV. Ex hac necessaria Dei existentia, sequitur evidenter, Eum continere omnem perfectionem puram possibilem, nempe Infinitatem, Aeternitatem, Immensitatem, Omnipotentiam &c. Nam debet DEUS tanquam ens necessarius carere omni defectu, & nulli unquam posse prudenter displicere. At verò posset displicere, si caretet aliqua possibili perfectione pura; ut patet ex notatione perfectionis purae, quae vel est Ens omnium simpliciter optimum, vel habet identitatem realem cum tali Ente.

V. **D**octrina secunda. DEUS est unus. Probat<sup>ur</sup> 1. ex Sac. Scriptura i Deuter. 4. v. 39. *Scito ergo homine, & cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse*

*sit Deus in Caelo sursum & in Terra deorsum; & non sit alius.* Ibidem cap. 6. v. 4. *Audi Israël, Dominus Deus noster Dominus unus est.* 1. ad Corinth. 8. v. 4. *Scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus.* Probat<sup>ur</sup> 2. ratione. Tum quia, si plures essent Dij, unus careret perfectione alterius: non possideret perfecte per identitatem omnem perfectionem simplicem & puram: perfectiones forent dissipatae cum manifesto defectu divisionis: nec possent esse objectum perfecte amabile & beatificativum. Tum quia tolleretur perfecta libertas & dominium, utpote in plures dispersum dependens & inadaequatum: essent discordes, vel unus necessario veller altero volente, Ubi ergo libertas? Haec non procedunt contra pluralitatem Personarum, de qua mox, quia habent naturam, scientiam, dominium unicum &c. Tum quia DEUS est infinitus, siue incomparabilis, & immensurabilis cum alio ente aequè bono vel meliori à se; & à suis praedicatis divinis necessarijs realiter adaequate distincto. Ergo non est, nec esse potest, nisi unus DEUS; certe pluralitas destrueret infinitatem.

VI. **D**octrina tertia. Dantur in DEO tres Personae realiter distinctae, Pater scilicet, Filius, & Spiritus Sanctus. Est de fide, & habetur, licet obscure, in veteri Testamento Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominibus ad imaginem & similitudinem nostram.* Ex quibus verbis Patres colligunt Mysterium trium Personarum Sanctissimae Trinitatis, referendo Tò faciamus ad Personas: Tò nostram ad Unitatem Naturae. Clare verò idem habetur in Novo, Matth. ultimo v. 19. *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et Joan. 3. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in Caelo. Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Ratio est, quia datur producens & productum: procedens & à quo procedit: mittens & missus, ut constat ex Joan. 8. v. 43. *Ego ex Deo processi.* & ibidem cap. 15. v. 26. dicitur de Spiritu Sancto *qui à Patre procedit, & à Filio mittitur.* Unde sic argumentari licet: qui accipit esse ab alio; & mittitur ab alio, necessario distinguitur ab eo, sed Filius accipit esse à Patre: & Spiritus Sanctus ab utroque; Ille etiam mittitur à Patre: Ille verò à Filio. Ergo distinguitur inter se Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

VII. **D**octrina quarta. Christus est verus DEUS. Ita omnes Christiani. Probat<sup>ur</sup> 1. ex Scriptura, cujus plura & luculenta testimonia adducit Card. Bellarminus lib. 1. de Christo à cap. 4. nobis unum alterumve sufficiat. Isaia 40. v. 3. *Vox clamantis in deserto paratè viam Domino, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Haec de Deo Israël dicuntur ab Isaia, nec enim Judaei alium Deum ac Dominum suum absolute vocabant; quam unum verum Deum, & praesertim Prophetarum alijque SS. viri. At hanc vocem esse Joannem, qui praeparavit viam Christo, testantur omnes Evangelistae Matth. 3. Marc. 1. Luc. 1. Joan. 1. Ergo Christus est ille Dominus & Deus Israël. Joan. 1. cap. 5. v. 20. dicitur de Christo. *Hic est verus Deus, & vita aeterna.* Philipp. 2. v. 6. *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem DEO, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Hic videtur clarissime explicari, Christum esse verum Deum, cum habeat formam, hoc est ex communi Veterum & Recentiorum Interpretatione, Naturam & Essentiam Dei, & secundum illam non sit rapina, sed Naturam aequalis Patri.

VIII. Probatur 2. ex consensu totius Ecclesiae, quae in tribus Symbolis Apostolico, Niceno, & Athanasiano palam id profitetur, quibus consonant Sybillarum testimonia, citata à Justino, Athanagora, Clemente Alexandrino, Lactantio Augustino & alijs veteribus frequentissimè; quin etiam Clemens lib. 6. Stromatum ante medium affirmat, Apostolum Paulum hortatum Gentiles ad Lectionem Sybillarum. Extrat autem carmen Sybillae Erithraeae celeberrimum, cujus capitales litterae faciunt hanc sententiam: JESUS CHRISTUS DEI Filius, Salvator, Crux &c. & concluditur hoc Distico.

*Unus est aeternus Deus: Hic servator & idem  
Christus pro nobis passus, quem carmina signant.*

IX. Probatur 3. ex ratione. 1. Sumitur ex miraculis, quae Christus ad confirmandam Divinitatem suam gessit, & tanta & talia sunt, ut vel sola cuilibet persuadere possint, Christum esse verum Dei Filium, juxta ejusdem verba Joan. 10. v. 25. *Quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me.* Unde pulchre D. Augustin. Tract. 24. in Joan: *Interrogemus, inquit, ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo, habent enim, si intelligantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi Verbum nobis est.* 2. Sumitur ex integritate vitae & doctrinae Christi: Nam si falsò contendisset, se esse Filium Dei, fieri non potuisset, quin aliquem in doctrina errorem, atque etiam in vita & conversatione peccatum aliquando admisisset. Atqui nihil tale potuit illi obijci à cunctis illius inimicis, quos ipse, ut se, si possent, de peccato arguerent, etià provocavit aiens: *quis ex vobis me arguet de peccato.* Joan. 8. v. 46. 3. Sumitur ex cladibus & calamitatibus tam multis, tam magnis, & tam diuturnis, quibus Judaei meritissimas à Christi morte penas exsoluerunt. Jerusalem caput impietatis post internas caedes, & abominabilem famem, quae ipsi mortales in alimentum cesserunt, à Tito Vespasiani Filio quarto obsidionis mense expugnata non simul, sed ut vinceretur saepius & everteretur funditus; primò capta inferior Urbs: post biduo Templum, quod invito Tito incensum: tandem Urbs superior omniaque abolita ferro & flammis. Perierunt in obsidione Judaeorum undecies centena millia; Captivorum nonaginta septem millia abducti: tota in Imperio deleta Gens pervicacissima, ut, fatente Victore, Numen ipsum grassaretur in victos. Si autem Christus verè non fuisset Filius Dei, maximum proud dubio Judaei praestitissent obsequium Deo, illum tollendo, qui se fecit Filium Dei, vindicandoque gloriam Dei, quam ille inique ad se transfulisset.

X. Josephus Judaeus, ut ex ipso refert Eusebius lib. 2. Hist. c. 22. causam hujus cladis rejicit in necem innocentis Jacobi Discipuli Christi. Sed frivole, siquidem & aliàs saepe Judaei prophetas sanctissimos occiderunt, nihil tamen simile passi fuerunt, & à potiori, si ob necem innocentis Jacobi Discipuli Christi hanc cladem Judaei meruissent, quando magis dicere debuerat Josephus, obvenisse propter necem Christi Innocentissimi Auctoris vitae & Magistri Jacobi? Expuncta igitur fuit Civitas Jerusalem, quia Christum Regem

abnuvit: & suo inundata fuit sanguine, quia fudit innoxium, eumque divinum Christi.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

Cum haereses ea sit pernicies, ut viam ad absurdissima quaeque dogmata sternat, & ex illa facilis sit ad ista lapsus, idcirco in hoc opere aliquos errores nolui silentio omnino praeterire, quantumvis modernos Sectarios tangere aperte non videantur.

XI. Error primus est Atheorum, non esse Deum. Nituntur hac falsa persuasione, quasi existentia Dei probari non posset sive à priori, sive à posteriori; illud viderur per se patere: hoc probant. Tum quia illatio in sensu distributivo universum non valet. Tum quia essentia Dei demonstrari non potest etiam à posteriori sive per effectus. Ergo neque existentia. Sequela patet, quia Existentia & Essentia in Deo sunt idem. Antecedens ex eo ostendunt, quia cum Trinitas spectet ad essentiam, sequeretur nos naturaliter posse cognoscere Trinitatem, quod communiter negant Theologi; imò Suarez lib. 1. de Trinit. c. 11. hoc etiam de fide esse censet.

XII. Errorem hunc satis rejiciunt aperta Sacrae Scripturae Testimonia supra adducta, quibus Dei Existentiam demonstratione metaphysica ex creaturarum existentia probari, tanquam fidei dogma Valentia, Suarez, & alij communiter tenent Theologi. Nam de facto habetur hujusmodi demonstratio. Ergo Sacra Scriptura de hac demonstratione intelligi potest. Adhuc demonstratio metaphysica est omnium propriissimè cognitio manifesta & evidens, utpote excludens omnem tergiversandi potestatem. Atqui Sac. Scriptura, quando potest, debet in sensu maxime proprio accipi. Ergo &c.

XIII. Respondetur ad 1. Non quidem valere illationem à sensu distributivo ad collectivum, si praedicatum, quod singulis tribuitur, minuatur aut tollatur ab illis per conjunctionem cum altero: At bene, si non minuatur, aut non tollatur; hoc posterius fit in praesenti, & perinde valet, ac si ex eo, quod singula accidentia indigeant subjecto, inferam, omnia Accidentia subjecto indigere: illud prius accidit, si ex eo, quod singulos lapides unius cumuli portare possim, inferam: omnes me portare posse; discriminis rationem jam indicavimus, videatur D. Thom. 1. 2. Q. 109. A. 8. ad 1.

XIV. Respond. ad 2. Non deesse nobiles Theologos, qui non contenti demonstrationibus à creaturarum existentia deductis, existimant, Dei Existentiam independentem ab his, & sic quodammodo à priori demonstrari posse. Videantur Anton. Perez. 1. P. D. 1. c. 4. & sequen. Martinus Esparza in opere suo Theol. Q. 2. de Deo, A. 4. & alij. Quidquid autem sit de hoc; quamvis Essentia Dei non possit evidenter demonstrari per effectus quoad Quid est: potest tamen quoad Quod est; sicuti ex cognitione lucis certo colligo solem existere, ethi hinc nequaquam

penso

penetrare valeam distinctè quidditatem illius, & modum, quo existit.

XV. *Error secundus.* Est Sabelij, qui ex Ptolomæ Lybia oriundus & Noëti discipulus asseruit, in Deo non esse Tres personas realiter distinctas, sed unam tantum, quæ habeat tria officia Creationis, Redemptionis, & Sanctificationis. Probat. Tum quia ex scriptura constat, Deum esse unum. Tum quia eadem numero Natura non potest esse in pluribus personis, siquidem per Subsistentiam redditur incommunicabilis. Tum quia pluralitas Personarum in una natura non stat cum famoso illo Axiomate Philosopherum: *quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

XVI. *Error iste* Damnatus fuit in Concilio Alexandrino tempore Sylvestri Papæ Anno Christi 319. juxta Baronium sufficienterque rejicitur ex ijs, quæ supra attulimus. Doctrinâ 3. quam hic solius confirmo ex Conc. Lateranensi Capitulo damnamus. de summa Trinitate, ubi habentur hæc verba bene observanda, ut in modo loquendi conformemur: *Una est Res, quæ veraciter est, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Tres simul Personæ, ac singillatim qualibet earundem. Quilibet earum Personarum est ea Res, videlicet Substantia, Essentia, seu Natura divina, quæ sola est universorum principium; & illa Res non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, Spiritus, qui procedit, ut distinctiones sint in Personis, Unitas in Natura; licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est & Filius, & Spiritus S. consubstantiales &c.*

XVII. *Respon. ad 1.* Deum esse Unum in Essentia; Trinum in Personis. Non obstat in Concilio Ariminensi & Scmirnensi negari in Deo tres Hypostases. Nam improprie loquuntur, Hypostasin accipiendo per Substantia, quæ tantum una est in Deo. *Ad 2.* Distinguendo; eandem Naturam limitatam aut eodem modo acceptam, esto: eandem Naturam illimitatam, & diverso modo sumptam, nego. At Natura divina est illimitata, & aliter atque aliter in tribus Personis, nimirum in Patre ex se: in Filio per generationem: in Spiritu Sancto per spirationem. Et hoc absque sui divisione, ut statim magis constabit. *Ad 3.* Axioma illud verum esse in Divinis, negari à Vasq. in 1. P. Disp. 123. cap. 2. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 3. & alijs. Marthias Perulle de Trinit. D. 1. q. 2. & alij non pauci id ipsum ita explicant, ut per illud tertium intelligatur vel pure singulare, hoc est, physice & logice, sicut in divinis sunt ipsæ Personæ, & quale requirunt syllogismi expositio: vel adæquate distinctum, quale requirunt syllogismi universales; hujusmodi autem Essentia divina non est in hoc syllogismo: Essentia Divina est Pater. Filius est Essentia Divina. Ergo Filius est Pater. Nam quamvis Essentia divina physice sit singularis, tamen propter identitatem inexistentiam in pluribus personis est logice, sicut ait Zuniga D. 3. Dub. 2. vel ut alij, æquivalenter universalis. Ariaga 1. P. de Trinit. D. 43. Sect. 5. & plerique alij censent, illud verum esse, quæcumque res illa non est capax distinctionis virtualis: non verò si sit ejusdem distinctionis capax, uti fit in præsentia.

XVIII. *Distinctio autem* Virtualis est capacitas contradictoriorum in eodem ente realiter simpliciter ac indivisibili, æquivalente tamen pluribus ad terminandas & verificandas propositiones de

se contradictorias, quarum una aliquid intrinsecum verè affirmet de uno, altera verò neget de altero extremo identificatorum. Hanc distinctionem virtuales dari inter Relationes & Naturam divinam communis tenet sententia Theologorum. Nam hæc propositiones: *Natura communicatur Filio: Paternitas non communicatur, Filio productur: Natura non productur. Natura identificatur Filio: Paternitas non identificatur eidem. Personalitas Verbi immediate unitur Nature humane: Essentia divina non unitur immediate eidem.* Hæc inquam, propositiones omnes de se sunt contradictoriæ, utpote affirmatio & negatio ejusdem de eodem. Atqui istæ verificantur de Natura & Relationibus. Ergo inter has admittenda est distinctio virtualis intrinseca, de qua plura Scholastici.

XIX. *Error tertius* est Cerinthi Hæresarchæ pessimi, qui Divinitatem Christo negavit; unde contra ipsum ex instituto S. Joannes suum Evangelium scripsit ad asserendam Christi Divinitatem; quem errorem deinde renovarunt Paulus Samosatenus Episcopus damnatus in Synodo Antiochena tempore Dionysij Papæ anno 266. & Arius presbyter Alexandrinus damnatus in generali concilio Niceno sub Sylvestro Papa & Constantino Imperatore anno Christi 325. Illorum vestigijs inhæsit Machomet Turcarum Antesignanus ab Ariano Monacho seductus, multosque in suam partem traxit nullo rationabili argumento, sed tantum fictitijs prophetijs; cum enim mobo laboraret caduco, finxit in illa mania sibi divinitus revelata quædam fuisse, quæ ferro potius, quam ratione defendit sub pæna capitis interdicens, ne quis contra ejus doctrinam disputaret. Atque hæc Secta per mille & quinquaginta annos in mali semine immensum & gentem orbis domitricem excrescens quemadmodum ferro incrementum sumpsit, ita non nisi ferro excindi posse videtur.

XX. *Nostrates hæretici* nimirum Lutherani & Calvinistæ, quia protestantur se cum Romanâ Ecclesiâ in hæc doctrinâ convenire, ac tenere in una Natura divinâ tres dari realiter distinctas Personas, Christumque esse verum DEUM, idcirco non est, cur diutius hic immoremur; quamvis Cardinalis Bellarminus in præfatione ad Librum de Christo ostendat, non minus hoc tempore cum Sabelio, Ario, Nestorio, Eutychete &c. sentire Servetum, Gentilem, Blandradam & cæteros, qui palam eos Sectari ac tueri se protestantur, quam Erasmum, Lutherum, Melancthonem, Calvinum, Bulingerum, Martyrem, Brenzium, Bezam; Sarnicum, Schegkium, Wiganum, aliosque similes, qui eosdem odisse & detestari se vociferantur; Nam, inquit, si verè & ex animo eos execrarentur, non possent non etiâ se ipsos doctrinamque suam execrari, cum id sane negare non possint, se illis ad progrediendum in castra Arianorum non modò occasionem dedisse, sed etiam portam latissimam aperuisse. Fundamenta illorum hæreticorum contra realem distinctionem in una Deitate: & contra Christi Divinitatem idem Auctor fuse rejicit in prædictis libris, qui præter ea, quæ supra diximus, & porro dicemus, videri potest. Item de Secta Machometis, ejusque successu, & turpi doctrina videantur Bernardinus Vervveis in speculo veræ Ecclesiæ à fol. 120. Hugo Grotius de Veritate Christianæ Religionis lib. 6. & alij.

## CONTROVERSIAM VIII.

AN CHRISTUS, QUAE DEUS,  
sit Filius DEI.

**D** Athanasius in Epist. de decretis Nicenae Synodi advertit, in Sac. Scriptura duplicem Naturam Filij significatione innui; unam secundum Adoptionem, ut cum dicitur Joan. 1. v. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: alteram secundum Naturam, ut cum Isaac, Abraham, Jacob filius Isaaci, & deinceps patriarchae Filij Jacobi appellatur. Ad filium priori modo sumptum non requiritur, ut sit ejusdem Naturae cum eo, cujus dicitur Filius: at bene ad filium posteriori modo acceptum, & de tali quaeritur, utrum DEUS etiam habeat Filium Naturalem substantialiter ex se genitum?

## PARS PRIOR.

## DOCTRINAE CATHOLICAE

L I C E.

**I.** **D**octrina prima. Christus, quae DEUS, est verus & naturalis Filius DEI Patris. Ita docet S. Catholica Ecclesia in omnibus Symbolis, praesertim Niceno aejens: *Credo in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.* Probatum 1. ex Sac. Scripturae sequentibus Testimonijs 1. est ipsius Patris Math. 3. v. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* 2. Ipsius Filij Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat.* Filius enim hic loquitur: ut Tertul. etiam Libro contra Praxeam intelligit. 3. est Spiritus Sancti Math. 3. qui apparitione sua in specie columbae v. 16. vocem illam Patris de Filio confirmavit. 4. est Angeli Luc. 1. v. 35. *vocabitur Filius Dei.* 5. est Apostoli Petri Math. 16. v. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* 6. est Apostoli Joannis cap. 1. v. 14. *& vidimus gloriam ejus gloriae quasi unigeniti a Patre plenum gratia & veritatis.* 7. est ejusdem Evangelistae cap. 1. v. 18. *unigenitus, qui est a Patre, ipse enarravit.* 8. Apostoli Pauli ad Gal. 8. v. 8. *misit Deus filium suum factum ex Muliere factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus.* 9. est ejusdem ad Hebraeos 1. v. 3. *qui cum sit Splendor Patris & figura substantiae ejus.* 10. ejusdem ibidem v. 5. *cui enim aliquando Angelorum dixit: Filius meus es tu. Ego hodie genui te.* 11. ejusdem ad Rom. 8. v. 32. *qui proprio Filio suo non pepercit.* 12. denique Davidis Regis Psal. 109. v. 2. *ex utero ante Luciferum genui te.* Hisce alijsque Iuxtae Sac. Scripturae testimonijs significari, Christum verum esse Dei Filium per Naturam, non solum per adoptionem, sicuti ceteri homines & Angeli, nemo nisi executam omni fronte inficias ibit. Tum quia dicitur unigenitus. Tum quia excellentiori modo Filius est, ut contendit Apostolus ad Hebraeos. Tum quia Filius est ex ute-

ro, non gratia. Tum quia ante luciferum, hoc est, ab aeterno ante omnes creaturas est genitus. Tum quia ita est genitus, ut maneat in sinu Patris. Tum quia Filius Dei vivi & altissimi, atque ejusmodi appellatur. Tum denique quia per illum alij adoptionem Filiorum obtinent, ut dicitur ad Gal. 4. citato, atque adeo filiationis Nomen, & rationem ab ejus filiatione participant.

**II.** Probatum 2. ex Patribus, qui in hac doctrina & expositione adductoim locorum Scripturae conspirant, ac videri apud alios possunt. Sufficit hic unicus D. Athanasius qui 2. [Sermonem contra Arianos super illo versu 8. Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem praecipitatoribus tuis, ita scribit: Videte Ariani, & saltem hinc cognoscite participatores Domini ceteros omnes Psalmistam appellasse; si enim unus ex non-entibus creatus fuisset, fuisset & ipse ex istis participatoribus. Atqui cum eum ut Deum aeternum suo hymno celebravit Psalmista, inquit: Thronus tuus Deus in seculum seculi &c. & reliqua omnia ex eo partes capere declaravit, quid aliud intelligendum, quam alium illum esse a rebus creatis, ubi S. Pater supponens agi in illo Psal. de filio Dei naturali, ut aperte habetur v. 3. *Speciosus forma praefigis hominum, inde ejus infert Deitatem, quam consequentiam, ait Sermonem 3. contra eodem Arianos, nec diabolus ipse negare potest.**

**III.** Probatum 3. Ratione. Generatio proprie dicta definitur a Theologis & Philosophis communiter: *productio naturalis viventis a vivente in similitudinem naturae mediante principio conjuncto.* Atque origo seu productio Christi, quae Dei. Primo est naturalis, quia est actus intellectus, seu cogitatus; sicut enim humanus intellectus cogitando producit vivam imaginem objecti cogniti, quam philosophi appellant speciem expressam, & verbum mentis, quo cogitans sibi ipsi quasi loquitur, ita Deus de se ipso cogitando genuit vivam sui Imaginem, quae propterea vocatur Verbum Patris, prout graphice descripsit Joannes cap. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, &c.* Secundo viventis a vivente; quia est actus vitalis, quo spectant illa Christi Verba Joan. 5. v. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Nam Pater communicando Filio suam Essentiam, dedit illi hoc ipso vitam habere in semetipso, tanquam primo & pleno fonte, ex quo omnis vita emanat ad alios, & quidem independenter ab omnino alio, ut ajunt Cyrillus, Chrysostr. Augustinus & alij. Tertio in similitudinem Naturae non tantum specificae, sed etiam numericae; unde Christus Joan. 10. v. 30. *Ego, inquit, & Pater unum sumus;* ubi per unum designatur identitas Essentiae, & omnium proprietatum Essentialium: per sumus distinctio personarum, & proprietatum Personalium; quod Sabellio: illud Ario adversatur; ut notant S. Hilarius lib. 7. de Trinit. Augusti Tract. 48. & alij PP.

**IV.** Ceterum Essentiam & Naturam divinam a parte rei constitui ultimò per actualem Intellectionem, teste Ariaga 1. P. D. 47. Sect. 8. docent communiter Thomistae & Patres Societatis nostrae moti auctoritate SS. Patrum, quorum testimonia copiose adducunt. Unus nobis sufficit S. August. qui lib. 15. de Trinit. cap. 7. ait: *Hoc Deo est Esse, quod sapere: & ea est illi Essentia, quae Sapientia;* quae verba observans D. Thom. 1. P. Q. 27.

Art. 2.

Art. 2. docet, in rem præsentem, *Processionem Verbi veram esse generationem, quia talis Filius accipit Naturam Patris, hoc est, intelligere, quod, ait, in Deo idem est ac esse sua Essentia.* Quarto. Origo Christi, quæ Dei, est à principio conjuncto, quia est de substantia Patris, quod iste indicat Psal. 109. v. 3. *aiens. ex utero ante luciferum genui te.* Et ipse Filius Joan. 10. v. 29. dicens: *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est.* Unde in Symbolo Niceno dicitur: *Deus de Deo.* & in Toletano III. *Quicumq; negaverit Filium Dei de Paterna substantia sine initio genitum, consubstantialem Patri, Anathema sit.* Ergo cum omnia ad veram generationem requisita conveniant Christo, quæ Deo, liquidè constat, quod iste sit verus ac Naturalis Dei Filius.

V. Hinc apparet Generationem divinam multum differre à generatione humana. Nam 1. Generatio humana carnalis est: Divina Spirituality: *quia Spiritus est Deus; juxta illud Joan. 4. v. 54. & ideo non potest, nisi spiritali modo gignere Filium; unde in Psal. 109. citato ex utero sumitur metaphorice pro interna Essentia & Substantia.* 2. Generatio humana confert non propriam, sed aliam similem naturam: At Divina communicat eandem numero. 3. Generatio humana facit Patrem priorem, & seniore Filio: at Divina nec prioritate naturæ facit Patrem seniore Filio, sed solum origine; quia instantia naturæ designant causalitatem: Filius autem non est causatus à Patre, cum sit unus idemque Deus cum Patre; idem autem à se ipso non potest causari, nec se ipso naturâ prius esse, cum sit una eademque natura. 4. Generatio humana facit Patrem digniorem Filio, ut ille in hunc potestatem ac dominium habeat: At Divina fecus; unde Athanasius in Symbolo *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti æqualis est gloria, cœterna majestas &c.* ubi etiam explicatur illud dictum Christi Joan. 14. v. 28. *Pater major me est: æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem;* causa verò hujus æqualitatis inter Patrem & Filium est, quod Pater non genuerit Filium libero & gratuito beneficio, sed naturali necessitate, ut non potuerit non generare, ideoque nullo titulo illum habeat sibi subiectum. 5. generatio humana potest esse plurimum filiorum: at Divina unius solum juxta Symbolum Athanasij, *unus Pater, unus Filius, &c.* unde in Script. vocatur *Unigenitus.* 6. Quod generatio Divina fiat absque mutatione: fecus humana, quod ex dictis patet.

VI. Sed restat quæstio, cur Processio Spiritus Sancti non sit Generatio? Nam quemadmodum est de fide certum, & definitum in Concilio Toletano sub Leone I. & in Symbolis Athanasiano & Niceno, Spiritum Sanctum procedere, non generari, ita difficile est, solidam hujus dare rationem & disparitatem, cur scilicet Processio Filij vera sit Generatio, non Spiritus Sancti? imò prope inexplicabile id censent Patres, præsertim Damasc. lib. 1. cap. 16. & Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 27. Nihilominus cum debita humilitate & subjectione ad S. Romanam Ecclesiam inter diversa Doctorum placita, Sit

VII. *Doctrina secunda.* Christus quæ Deus seu Verbum, procedit ut simile Patri in Natura, adeoque verè generatur, & est Filius: non autem Spiritus Sanctus; quia Verbum divinum formaliter, vi suæ Processionis accipit ipsam Naturam Patris, quod est Intelligere: Spiritus autem

Sanctus formaliter, & vi suæ Processionis accipit tantum Velle divinum, Essentiam seu Naturam materialiter & concomitanter. Ita D. Thomas Q. 27. cit. P. 1. Fasolus in 1. P. D. Thomæ Q. 14. art. 2. Ariaga in 1. P. Disp. 47. Sect. 7. cit. & plurimi alij. Nam ab utroque Concilio Niceno, item à Toletano, & à S. Augustino lib. 7. de Trinit. c. 2. Verbum divinum dicitur *Deus de Deo, Essentia de Essentia: Spiritus S. autem dicitur ab ipsdem Voluntas de Voluntate.* Ergo sicut ista concilia ideo Spiritum Sanctum vocant Voluntatem de Voluntate, quia procedit per Voluntatem, eique immediate, & vi suæ processionis formaliter communicatur Velle Divinum, ita etiam Verbum divinum dicitur Deus de Deo, Essentia de Essentia; quia vi suæ processionis procedit per Deitatem & Essentiam divinam, eique communicatur Deitas & Essentia Divina; unde sic argumentari licet.

VIII. Illud verissimè generatur, quod vi suæ processionis & tendentiæ, seu primariâ intentione Operantis accipit Naturam Patris. Cur enim Petrus est filius Joannis, & non Vermis, vel aliud animalculum ex eodem enascens? Certè non aliam ob causam, quam quod ille vi suæ actionis accipiat naturam Joannis, non istud animalculum. Similiter Eva ex costa Adami formata non est ejus filia, nec ab ipso genita, licet in natura similis Adamo. Cur? quia decisio costæ per se, & ex vi suâ non tendebat ad formandum hominem, sed ex mera Dei voluntate. Atqui Christus, quæ Deus, vi suæ Processionis ab æterno Patre, & vi tendentiæ seu ex primariâ intentione operantis accipit Naturam Patris, scilicet Intelligere actuale: non Spiritus Sanctus, qui accipit solum Velle; Voluntas autem ex suâ naturâ non est assimilativa, nec objecti similitudinem exprimit, sicut Intellectus; sed tantum fertur in objectum, & cupit ei se conjungere v. g. qui amat pecuniam, non vult pecuniam sibi similem reddere, sed eam acquirere ac possidere. Ergo Verbum Divinum propriè est Filius & generatur: non Spiritus Sanctus.

IX. Dicent. Spiritus Sanctus est formaliter & per se Deus, & quidem ab alio. Respon. ad hoc sufficere, ut habeat veram Deitatem ab alio communicatam, etiam si hæc ei non primariò, sed secundariò duntaxat intendatur. Urgent. Spiritus S. procedit primariò, & per se, ut Deus, quia procedit, ut Persona, seu Suppositum divinum. Ergo primariò accipit Deitatem. Respon. negando Antecedens cum sua probatione. Quia Spiritus S. primariò neque ut Deus, neque ut persona procedit, sed pure, ut Amor subsistens, quem unum ille secundum formale importat; licet secundum materiale & completum esse Spiritus Sanctus Naturam quoque, & alia Attributa involuat, perinde ut Filius secundum formale solum Naturam subsistentem dicit; secundum materiale autem & completum tam Naturam quam Attributa. Sed de hoc plura Scholastici.



## PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETI  
CORUM.

**X. Error primus.** Est Antiquorum hæreticorum in fine prioris Controversiæ adductorum, qui, cum negent, Christum esse DEUM, consequenter negant, eundem esse Filium DEI Naturalem. Cerinthus & Ebion dixerunt, Christum fuisse Josephi & Mariæ filium, ut testantur Irenæus lib. 1. cap. 25. & 26. Terrullianus de carne Christi, & alij Patres. Michael Servetus novorum Samosetanorum Auctor (qui anno 1557. Genevæ fuit combustus) docuit, Christum aliquâ aliâ naturâ non fuisse præditum, nisi humanâ, ideòque esse, ac dici Filium Dei tantummodo Adoptione & sanctificatione singulari Naturæ suæ humanæ. Valentinus Gentilis Natione Italus, Patriâ Conscientinus post hæresin suam in Gallia, Germania, & Polonia sparsam Bernæ supplicio capitali affectus concessit quidem, Christum esse Filium DEI, sed Patri non æqualem, quæ est universim Recentiorum Arianorum opinio. Nostrates hæretici concedunt, Christum & Deum, & Dei Filium esse. Rectè. Sed mirum sanè, cum Scriptura, cui unice adherent, & quanti manibus semper terunt, nõ paucos locos vel uti scopulos potrigat, ad quos alij ob illorum difficultatem impingendo naufragium fidei fecerunt. Videamus nonnullos, simulque eorum solutione Catholicam doctrinam contra rejeçtum supra errorem stabiliamus. Ita;

**XI. Primus.** Proverb. 8. v. 22. dicitur de Filio: *Dominus creavit me in initio viarum suarum.* Ergo Filius est Creatura, & opus quoddam factum, ut teste Gregorio Nazian. Oration. 3. de Theolog. Ariani assidue objiciebant. Respond. cum D. Athanasio Serm. 3. contra Arian. Basilio lib. 4. contra Eunon. & alijs PP. hæc & similia loca plurâ intelligenda esse de Filio secundum Humanitatem assumptam; Etenim secundum hanc creatus est, ut daret initium divino operi Redemptionis & Reparationis generis humani. Non obstat Verbum illud præteriti temporis *creavit*; quæ enim de futuro in scriptura dicuntur, solent verbo præteriti temporis significari, ut judicentur tam certa esse, ac si jam accidissent, uti illud Psal. 21. v. 17. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Alias interpretationes de æterna Generatione Filij vide apud Scripturistas.

**XII. secundus.** Psal. 2. v. 17. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Si eo die, quo scriptus est hic Psalmus, primùm genitus est Christus, tum non fuit ab æterno. Ergo nec Deus, nec filius DEI; David enim ferè 3600. anno post conditum orbem vixit. Respon. Davidem non dicere, quod Filius Dei primùm hodie sit natus, sed quod hodie natus, sicut de quolibet die dici potest, quod divina generatio sit æterna, & nunquam cesset: at humana factu formato desinit. Adhæc David per hodie non intellexit illum diem, quo hæc scribebat, sed alium, quem veluti præsentem intuebatur, scilicet diem Resurrectionis, ut exposuit D. Paulus Act. 13. v. 32. *Deus adimplevit, resuscitans Jesum, sicut & in Psal. 2. scriptum est: Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Dicitur autem illo die peculiariter genitus, quia

gloriosi Corporis splendore manifestata est ejus Divinitas, sicuti eo die dicitur factus Imperator, quo publicè coronatus est, licet prius electus. Vi. de Tirinin. in cit. Psal. ubi tò hodie ostendit à PP. sumi pro momento æternitatis, pro die Nativitatis, & Resurrectionis; quia possunt unius & ejusdem loci Sac. Scripturæ plures sensus litterales esse à Spiritu S. immediate intenti, ut diximus supra.

**XIII. Tertius.** Christum in scriptura passim affirmari verum hominem: & hunc ipsum hominem adstrui Filium Dei. Ergo non naturâ, sed adoptione & naturæ humanæ sanctificatione. Hoc argumentum Servetus in suis libris & dialogis de Trinit. singulis ferè paginis crepat; sicut etiam Franciscus David, & alij Servetiani. Respon. Naturâ etiam Deum esse illum ipsum hominem, qui Christus est. Nam Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus Eum; qui tamen postea *in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*, Baruch. 3. v. 38. Hic est Verbum, quod erat in principio Deus apud Deum, qui idem caro factum est & habitavit in nobis. Joan. 1. v. 14. *Hic vocabitur Emmanuel id est nobiscum Deus* Isaïæ 7. v. 14. *Hic, Deo cum esset æqualis, formam servi accepit, & habitu inventus ut homo* ad Philipp. 2. v. 3. Quare idem Filius DEI & homo Naturâ est.

**XIV. Quartus.** Filius genitus est à Patre. Atque qui non coactè, sed voluntate; quia hoc fuit multò præstabilius. Ergo potuit non gigni, & consequenter nec verus Deus esse, nec Filius Dei naturalis, cum Deus sit Ens simpliciter necessarium. Ita urgebat Sophista Asterius Arianorum Patronus. Respon. cum D. Athanasio Serm. 4. contra Arianos, Patrem æternum neque coactè neque etiam voluntate liberâ genuisse; sed, ut fertur hæc voluntas in objectum suum necessariò; quem admodum etiam ipse Father volens DEUS est, non coactè, neque etiam voluntate liberâ, sed necessariâ & naturâ, ut tradunt Scholastici in materia de Sanctissima Trinitate.

**XV. Quintus.** Joan. 1. v. 27. ait Joannes Baptista de Christo: *Ipsè est, qui post me venturus est, qui ante me factus est;* quod non potest intelligi de Humanitate, quia Christus quoad Humanitatem est post Joannem factus, ut Gabriel nunciavit Mariæ Luc. 1. v. 36. Ergo intelligendum de Divinitate, & consequenter non fuit verus Deus, nec filius Dei. Respon. Adverbium *ante* non significare prioritatem temporis, sed præcedentiam dignitatis; Nam, ut notat Beda Græcum verbum *ἔμπροσθεν* nunquam ordinem temporis, sed distantiam loci seu dignitatis significat. Participium *factus* etiam non significat productionem, sed exaltationem, quasi diceret: longè mihi prælatus, & ad sublimiorem dignitatem effectus, quàm ego; quod etiam de Humanitate intelligi potest. Ita exponunt S. Augustin. Chrysost. Theophylact. apud Tirinum & Maldonatum in v. 15. cit. capitis.

**XVI. sextus.** Joannis e. 1. v. 1. Christus vocatur Verbum Patris. Verbum autem non est substantia, sed Accidens: accidens verò non est DEUS, nec Dei filius, sicut nec verbum hominis seu mentale seu vocale dicitur ejus Filius. Respon. longè disparem esse rationem Verbi humani & Divini. Humanum est accidens: Divinum est substantia, quia Deus non est capax ullius accidentis; alioquin componeretur ex substantia & accidente

accidente, quod repugnat ejus simplicitati, cum sit Ens indivisibile, omnia in se continens, nec ad sui perfectionem indigeat alterius entis accessu. Similiter Figura, Quæ Heb. i. v. 3. tribuitur Christo, & idem significatur, quod Imagô, non est in Deo accidens, sed substantia, quâ Filius æqualis est Patri, ut supra diximus.

XVII. *Septimus.* Christus Dominus asseruit: *Beatus est dare, quam accipere*, ut de ipso attestatur Apost. Act. 20. v. 35. cujus ratio est, quia divitis & perfecti est dare: accipere vero indigentis & imperfecti, Atqui Pater dat & Filius recipit. Nam dedit Pater Filio potentiam Matth. 18. v. 18. *Data est mihi omnis potestas &c.* Dedit vitam Joan. 5. v. 16. *Dedit ei vitam habere in semetipso.* Dedit sapientiam, ibidem v. 20. *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei.* & Joan. 15. v. 15. *quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Denique quidquid habet Filius, habet à Patre Math. 11. v. 28. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Ergo Christus non est Filius Dei Naturalis, non est Patri æqualis, & non est Unus cum eo Deus. Confirmatur Math. 20. v. 23. dicit Christus: *Sedere ad dextram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Ergo Filius non habet omnia, quæ habet Pater. Respon. tunc solum beatus esse dare, quam accipere, quando is, qui recipit, est in potentia ad recipiendum, ac proinde est indigens, ac imperfectus. At verò Filius Dei sic accepit vitam, ut tamen nunquam non fuerit vivens, sic accepit potentiam & sapientiam, ut nunquam fuerit infirmus & ignorans; quippe omnia hæc accepit nascendo; ab æterno autem & natus est, & perfectè natus est. Ita August. lib. 3. contra Maximin. c. 24. *Beatus est, inquit, dare quam accipere, sed in hac vita, ubi est inopia, quâ utiq; melior est copia.* Vide eundem S. Patrem, & D. Chrysostr. in c. 5. Joan. ubi explicant, Patrem demonstrare Filio non docendo, sed gignendo: & Filium audire à Patre non discendo, sed nascendo. Dicitur autem Pater demonstrare, & Filius audire, quia Pater communicando Essentiam, communicat Scientiam. Ad Confirm. ex Math. 20. dicimus cum Hieron. Chrysostr. & Cyrillo lib. 10. Thesauri c. 15. Christum dicendo, *non est meum dare*, voluisse insinuare: non decet me dare vobis præ alijs, quia justus sum, sed quibus à Patre meo jam paratum, decretum, & destinatum est, & consequenter etiam à me. Videri potest Tirin. in cit. loc.

XVIII. *Octavus.* Denique in Symbolo Nicæno dicitur Christus *Lumen de Lumine.* Atqui Lumen non est ejusdem naturæ cum Sole, vel Luna &c. unde procedit. Ergo nec Filius propriè dicitur. Respon. Christum eodem sensu appellari Lumen, quo Pater Lumen est appellatus, scilicet non sensibile, sed spirituale consistens in sapientia & Sanctitate, quibus excluduntur omnes tenebræ, ignorantia, & peccata, ut indicat S. Joann. Epist. 1. cap. 1. v. 5. *Deus Lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ*; ubi per tenebras intelligit errores, & peccata, ut indicat v. 6. *Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus (id est in peccatis & erroribus) mentimur, & veritatem non facimus.* Ad quam spiritualem Claritatem significandam Deus in veteri testamento nunquam sine sensibili lumine se conspicuum fecit.

XIX. Dicent, saltem Filium esse portionem & derivationem de Lumine: Patrem verò totum substantiam Luminis, ut habet Tertullian. lib. 2. contra Hermogenem, qui teste Spondano anno Christi 170. Num. 4. Corpus Domini in Sole esse repositum finxit. Respon. nequaquam Filium esse, seu habere tantum particulam Substantiæ de Patre, sed totam & eandem hujus substantiam, nec aliud per derivationem aut portionem totius indicari, quam originis ordinem, & Patrem esse fontem Deitatis, Filium verò oriri à Patre; in quem sensum etiam intelligendus Terrull. contra Praxeam, & loco cit. contra Hermogenem, quando Filium à Patre appellat secundum.

XX. Regula igitur omnium SS. Patrum verissima tenenda est, ut humiliora, quæ dicuntur in Scriptura de Christo, eidem adscribamus secundum assumptam Humanitatem: alia verò, quæ Divinitatis propria sunt, tribuamus illi ipsi secundum Naturam divinam, in qua prius etiam quam caro fieret, erat Deus. Non obstat D. Hilar. lib. 9. de Trinit. ubi hæc habet: *Sed solus Pater verus est Deus, Christo non reliquit, ut sit Deus;* Ergo non, ut sit Filius Naturalis & æqualis in Natura. Non obstat, inquam, quia solum refert verba Arianorum, quibus respondet, quod, licet solus Pater verus sit Deus, non tamen auferre Christo, ut etiam sit verus Deus, quia Pater & Filius est unus Deus, vel, ut D. Hieron. quia *Patris & Filij una est Divinitas.*

XXI. *Error secundus.* Christum esse Filium DEI Adoptivum. Ita olim Felix Urgelitanus & Elipandus Toletanus Episcopus, quorum hæresin Novatores nonnulli per calumniam nobis Catholicis affingere audent, à qua tamen sumus remotissimi, firmiter tenentes, Christum nullâ ratione vocari posse Filium DEI adoptivum, ut definitum est in Concilio Francofurtensi, & ab Hadriano Papa. Ratio sumitur ex definitione Adoptionis, quæ à I. P. describitur: *gratuita assumptione Personæ extraneæ in hereditatem.* Atqui Christus non est Persona extraneæ, sed Filius Naturalis. Ergo &c. Hoc admittunt de Christo, ut deo, Felix & Elipandus: negant verò de Christo, ut homine, rati in Christo duas esse personas juxta hæresin Nestorianam damnatam. Sed ex fide omnes tenent Catholici, in Christo unam tantum esse Personam divinam, atque ideo Christum, ut hominem, in sensu Specificativo non esse Filium DEI Adoptivum.

XXII. Dubitatur tamen, an idem sentiendum de Christo, quæ homine in sensu reduplicativo? Affirmant communiter Theologi, & quibus nonnulli Durandum secus opinantem graviter censent. Ratio est, quod tò Filius Adoptivus dicat negationem unionis realis cum naturali Filiatione, seu quod idem est, dicat Filium extraneum à naturali. Atqui etiam humanitas non est extraneæ Divinitati, aut Filiationi naturali (est enim unita realiter ei filiationi, licet non sit identificata), Ergo Christus non potest esse Filius Adoptionis etiam ratione humanitatis.

XXIII. Porro Christum etiam, quæ hominem, esse Filium DEI naturalem, omnes hodie fatentur Doctores Catholici; & est extra dubium, si reduplicetur suppositum, ut sensus sit: Christus in quantum est suppositum naturæ humanæ, est

næ, est Filius DEI Naturalis, per æternam scilicet generationem; cum neque natura illa humana habeat aliud suppositum præter Filium DEI Naturalem: neque illud suppositum ex eo, quod terminet naturam humanam, desinat esse Filius DEI Naturalis. Sin verò reduplicetur natura, ut sensus sit, Christus secundum naturam humanam est Filius Dei naturalis, ita ut humanitas spectet ad hunc Conceptum Filij, tunc controversum est inter Recentiores, an Christus, quia homo, dicendus sit Filius DEI naturalis? Negat post nonnullos Card. de Lugo de Incarnat. D. 31. n. 21. Affirmat cum pluribus alijs Arriaga ibid. de Incarnat. D. 45. Sect. 2. Subst. 2. ponens in Christo duas Filiationes naturales; unam æternam ratione æternæ Processionis: alteram temporalem ratione Incarnationis fundatam in unione hypostatica, & de cujus conceptu sit ipsa Humanitas; ita ut concretum ex Humanitate & Personalitate Verbi importet novam istam ac distinctivam Filiationem. Fundamentum hujus doctrinæ, quam amplectimur, est; quia Christus ut homo est hæres Regni. Ergo & Filius; siquidem hæc duo sunt inseparabiliter connexa; non autem est filius adoptivus, cum non sit extraneus, sed conjunctus Deo. Ergo erit naturalis (quia conjunctio illa seu processio est primarium ac distinctivum filij naturalis ab adoptivo) & quidem respectu totius SS. Trinitatis, quia intuitu hujus est hæres, & ab illa Sanctificatur efficienter, atque cum eadem tota SS. Trinitate saltem mediata conjungitur.

XXIV. Non obstat Concilium Toletanum II. in confessione Fidei. & D. Thomas 3. part. q. 32. art. 3. Nam loquitur tam illud, quam iste solum de ipsa Persona; quæ est unita humanitati, dum ambo asserunt; eam non posse dici filium Spiritus Sancti, aut totius SS. Trinitatis: de humanitate autem seu reduplicazione illa Christi, in quantum homo est, nihil decernunt; sicuti nec Concilium Francofurtense, nec Hadrianus Papa de ejdem reflexionibus quicquam egerunt; sed, ut diximus, solum de ipsa increata persona Verbi: non verò de Filiatione ab humanitate proveniente. Dicant nunc Novatores, quid in hac Catholicorum doctrina commune sit cum errore Felicis Urgelitani & Elipandi? & si ostendere nihil possunt; erubescant & omittant calumnias suas.

## CONTROVERSIA IX.

*AN SPIRITUS SANCTUS SIT  
verus Deus: Et à Patre Filioque simul  
procedat?*

**S**piritum Sanctum esse verum Deum Equalem Patri ac Filio; negaverunt ejdem hæretici, qui Christi Divinitatem negare ausi fuerunt. De Eiusdem S. Spiritus Processione acerrimam sæpe fuit, atque etiamnum est inter Ecclesiam Latinam & Græcam. Ut igitur Catholicam doctrinam rite percipiamus, omnemque opinionem non-Sanctam de Sancto Spiritu amoveamus. Sit

✠:o: IHS. :o: ✠  
✠:o: ✠

## PARS PRIOR.

### DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

**I. Doctrina prima.** Spiritus Sanctus est Verus DEUS. Ita omnes Catholici. Probatur **i.** ex Sac. Scriptura i. Aët. 5. v. 3. hæc habentur: *Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri re Spiritui Sancto: non es mentuus hominibus, sed Deo.* Ergo Spiritus S. est Deus, ut ex hoc loco D. Athanas. lib. de communi Essentia Divinitatis Patris & Filij ostendit. & D. Gregor. Nazian. orat. 5. de Theol. aliique Patres communiter. i. ad Corinth. 3. v. 16. *nescitis, inquit Apostolus, quia Dei templum estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus. Templum enim Dei Sanctum est, quod vos estis.* Et cap. 6. v. 19. *An nescitis quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti qui in nobis est; & subjungit mox v. 20. glorificate & portate Deum in corpore vestro, quem Deum? quærit S. August. Epist. 66. nisi Spiritum Sanctum, cujus corpora vestra dixerat esse templum: nec verò ulla creatura in nobis tanquam in templo habitat; alioquin dicit, inquit Athan. in Dialog. de Trinit. contra Anomios, ubi tandem in Script. dicitur Propheta vel Apostolus vel in genere homo quispiam templum Angeli vel ulius rei create? i. Joan. 5. v. 7. Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres Unum sunt.* Unde sic argui potest: Qui habet unam eandemque Naturam cum Patre & Filio, Deus est. Spiritus S. juxta prædicta verba habet unam eandemque Naturam cum Patre & Filio. Ergo Deus est.

**II.** Probatur **2.** ex communi sensu Cathol. & testimonio PP. qui inprimis disertis verbis passim asserunt, Spiritum S. esse Deum æquæ ac Patrem & Filium. Deinde plerique illorum integris libris Divinitatem Spiritus S. expresse defenderunt, ut Athanas. Basilii; Nazianzenus, Cyrillus Alexandrin. Hilarius, August. &c. Demum summam esse impietatem censent, non credere, Spiritum Sanctum esse Deum, & ijs, qui id non credunt, gravissimis penis maledicunt; qui, inquit Athanasius Epist. ad Serapion. *Spiritum S. ad creaturas detrahit, impius est, & sine Deo, & infideli deterior, & quidvis potius, quam Christianus.* Similia habent Nazianzenus, Basilii & alij.

**III.** Probatur **3.** ex eo, quod Spiritui S. adferbantur opera Dei v. g. create: psal. 103. v. 30. *Sanctificare* i. ad Corinth. 6. v. 15. *Suscitare à mortuis* ad Rom. 8. v. 11. *esse ubique Sapient.* i. v. 7. *Justificatio* i. ad Corinth. 6. v. 11. *Gubernare Ecclesiam* ex principali quadam potestate, sicut Pater & Filius Aët. 20. v. 28. ibidem cap. 13. v. 2. rursus cap. 15. v. 28. *Distribuere dona spiritualia in Ecclesia* i. ad Corinth. 12. v. 11. demum Sacramenta non conferrentur in Nomine Spiritus Sancti, nisi Deus esset; uti tamen sit v. g. in Baptismo ex jussu Christi Math. ult. v. 19. *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

**IV. Doctrina secunda.** Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio simul. Ita quoque Catholici omnes. Et quidem à Patre procedere, ultro admittunt Græci, habeturque Joan. 15. v. 26. *Spiritus, qui à Patre procedit.* Eundem à Filio procedere, licet

re, licet Sac. Scriptura non ita claris terminis proponat, tamen ea fundamenta ponit, ex quibus efficaciter deduci queat. Probatum itaq; 1. Joan. 16. v. 7. ait Christus: *Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero Paraclitus non veniet: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et deinde v. 13. & seq. cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur, & ea, quae ventura sunt, annuntiabit vobis; ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis, omnia quaecunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Unde sic argumentamur: Si Spiritus Sanctus Scientiam accepit à Filio, & ab ipso missus est in mundum, tunc ab eo substantialiter processit. Sed verum est autecedens. Ergo & consequens Minor patet ex adductis locis Sac. Scripturae: Sequela Majoris probatur quoad primam partem. In Divinis Scientia Dei re ipsa eadem est, quae Essentia Dei, & impossibile est, ut una Persona divina ab altera habeat vel accipiat Scientiam, nisi ab eadem etiam habeat Essentiam, adeoque ab ista procedat. Probatum quoad alteram partem in divinis nulla Persona proprie mittitur, nisi ab ea, à qua procedit, ut habet S. August. lib. 4. de Trinit. cap. 2. Quapropter nec Filius Spiritum Sanctum mittere potuisset, nisi ab eodem procederet. Ad Rom. 8. v. 9. Spiritus S. vocatur Spiritus Christi, quod repetitur ad Hebraeos 1. v. 10. & ad Gal. 4. v. 6. Unde sic arguimus: Spiritus Sanctus vocatur in Sacra Scriptura frequenter Spiritus Patris, quia ille ab hoc procedit. Ergo etiam locis adductis vocatur Spiritus Christi, quia ille ab isto quoque procedit. Plura loca Sac. Scripturae refert & expendit Valentia in 1. P. Q. 10. Disp. 2. Punct. 2. & alij Theologi.

V. Probatum 2. ex Concilijs & PP. quorum testimonia fuse adducit cit. Auctor. & post ipsum Tanner in 1. P. D. 4. Q. 4. dub. 5. Sufficit nobis Symbolum Nicenum, prout dudum ante annos scilicet plusquam quingentos ob Graeci palam jam grassantis schismatis detestationem publice in tota Ecclesia Latina decantari cepit: his verbis: *Credo in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit.* Item Symbolum D. Athanasij ab universa quoque Ecclesia recitari solitum, in quo haec habentur: *Spiritus S. à Patre & Filio non factus nec genitus, sed procedens; hac autem additione fuisse idem Symbolum depravatum, tam perspicua est calumnia Graecorum, quam parum ullo indicio antiquioris exemplaris eam comprobare possunt. An non etiam alij PP. Latini id ipsum aperte docent? v. g. August. lib. 15. de Trinit. cap. 5. sic scribit: Sicut habet Pater in semetipso, ut de ipso procedat Filius, sic dedit Filio, ut de ipso procedat Spiritus Sanctus.* Cur ergo Athanasius, non Augustinus fuerit depravatus, cum idem uterque doceant? videantur cit: Auctores.

VI. Probatum 3. Ratione: Quod procedit ex mutuo amore duorum, id ab utroque procedit amante. Atqui Spiritus Sanctus procedit ex mutuo amore duorum, scilicet Patris & Filij. Ergo ab utroque amante, Patre videlicet & Filio procedit. Major patet; quia non est ratio, cur potius ab uno quam ab altero procedat, cum aequalis sit utriusque amor aequè fervens & vehemens. Minor probatur ex communi Doctrina Patrum, quod Spiritus Sanctus sit terminus di-

vini amoris, sicut Filius est Terminus divinae Intellectionis, & ideo vocatur Spiritus, quasi Anhelitus; Amor enim metaphoricè dicitur Spiratio; quia sicuti halitus ex corde hominis procedit, ita amor ex voluntate in objectum tendit, & illud quasi efflat; Amor autem seu Anhelitus iste necessariò est inter duos, nempe in proposito inter Patrem & Filium, à quorum foecunda Voluntate divina, quae in utroque exigit esse, procedit Spiritus Sanctus. Unde confirmatur haec probatio 1. Pater spirat, quia habet voluntatem foecundam, seu vim spirandi. Sed hanc eandem etiam habet Filius, antequam producat Spiritus Sanctus. Ergo Spiritus Sanctus non tantum à Patre, sed etiam à Filio producit. Confirmatur 2. De vi Spirativa eodem modo loquendum est, ac de creativa. Sed haec communicatur Filio prius quam Patet creet. Ergo & illa. Ergo sicut Filius accepta vi creativa cum Patre creat, ita accepta vi spirativa cum eodem spirat. Ergo tam ab hoc, quam ab illo procedit Spiritus Sanctus.

VII. Hinc breviter deducitur 1. Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere tanquam ab uno Principio Spirandi. Ita definitur in Concilio Lugdunensi, & refertur in Capitulo unico de summa Trinit. in 6. per verba haec: *Fideli ac devota professione fateamur, quod Spiritus Sanctus eternaliter à Patre & Filio non tanquam principis, sed tanquam ex uno principio: non duabus spirationibus, sed una spiratione procedit;* Id quod ratione sic suadet. Potentia spirativa includit volitionem & Relationem spiratoris. Sed haec est eadem in Patre & Filio. Ergo est eadem utriusque potentia & principium spirandi.

VIII. Deducitur 2. Spiritum Sanctum, ut est talis Persona, postulare à duobus procedere, in quibus existat virtus Spirativa; quia Spiritus S. de facto procedit à Patre & Filio, ut est amor, ut nexus, ut vinculum utriusque; sic enim loquuntur SS. PP. August. Lib. 6. de Trinit. cap. 5. Hieron. Bernard. & alij apud Vaquez de Trinit. D. 1. cap. 1. Ergo petit connaturaliter procedere à duabus personis invicem amantibus.

IX. Deducitur 3. Si Spiritus S. per hypothesein impossibilem non procederet à Filio; sed à Solo Patre, tunc à Filio non distinctum in, ut contra Scortistas communiter docent ceteri Theologi ex recepto illo axiomate: *Omnia in divinis sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Atqui nulla tunc obviaret Relationis oppositio inter Filium & Spiritum Sanctum; quia unus alterum non produceret. Ergo &c.

X. Dicunt contra ultimum corollarium. De facto datur distinctio realis in divinis sine oppositione Relativa. Nam Paternitas & Filiatio de facto distinguuntur realiter à Spiritu Sancto, & tamen non opponuntur ei relative; etenim opponitur sic eidem solum spiratio activa, & in concreto Spirator. Respon. Filiationem etiam, prout distinctam à spiratione activa, opponi Processioni Spiritus Sancti, sed mediate solum & implicite; quia Filiatio, licet non sit Spiratio activa, est tamen hujus receptio actualis. Atqui Spiritui Sancto opponitur Spiratio activa. Ergo & receptio ejusdem; quippe nequit receptio spirationis activae esse in eo, cui repugnat esse spiratorem. Cum ergo Filiatio, quae de facto est, sit acceptio Spirationis activae, clarum est, saltem

rem mediatè eam opponi Spiritui Sancto. Sed de hoc Scholastici.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XI.

**E**rror primus est. Non solum veterum haereticorum, qui Filium negarunt esse Deum, sed etiam aliorum ex Arianiis, qui, cum Filium denique faterentur Patri esse consubstantialem, contendebant tamen, Spiritum Sanctum non Deum, sed Filij creaturam esse, quod etiam senserunt Macedonius & Eunomius; unde vox Ariatorum, Eunomianorum, & Macedonianorum erat, Spiritum Sanctum non verum, sed peregrinum & adscriptitium Deum esse, ut refert Greg. Nazian. Orat. 5. de Theol. Valentinus somniavit, Spiritum Sanctum esse Angelum quendam, quod somnium etiam placuit Serveto, quibus haereticis videtur aliquoties consentire Erasmus in praefatione ad Libros Hilarii ita scribens: *audemus Spiritum S. Deum appellare, quod veteres non sunt ausi.* Loci Sacrae Scripturae, quibus male intellectis videntur in hanc falsitatem inducti, sunt praecipue isti.

XII. Primus. Ad Rom. 8. v. 22. dicitur: *Spiritus S. postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Secundus Joan. 17. v. 3. Christus non addidit aliquid de Spiritu S. quando dixit: *haec est vita aeterna, ut cognoscant Te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Tertius. Amos 4. juxta LXX. Interp. v. 13. dicitur: *Ego Dominus formans tonitru & creans Spiritum.* Quartus. Nomen Spiritus non reperitur in veteri Testamento, vel si repèriatur, non Deum, sed creaturam significat. Quintus. Greg. Nazianz. de Theol. loquens Orat. 5. de Spiritu S. ait: *nostri sapientes existimant illum partim Vim quandam & facultatem, partim Creaturam, partim Deum &c.*

XIII. Errorem istum abundè rejecimus supra Doctr. 1. quibus solum addimus D. Basilij testimonium lib. 2. contra Eunom. ita se habet: *ne minem in hunc usq. diem audivimus, qui Spiritum Sanctum creaturam appellasset.* Et lib. 3. contra eundem, quomodo, inquit, non manifesta impietatis est dicere, Spiritum Sanctum esse Deitatis expertem.

XIV. Respon. ad 1. Spiritum Sanctum postulare pro nobis non formaliter, sed causaliter & esse activè, quatenus adjuvat infirmitatem nostram; sicut ait Apostolus ibidem, ut sciamus, quid nobis postulandum sit, & id postulemus, quemadmodum oportet. Hanc etiam ratione dixit ad Gal. 4. v. 5. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra clamantem, Abba Pater;* scilicet quia excitat corda, ut id clamant.

XV. Ad 2. cum Basilio lib. 5. contra Eunomium. Spiritum Sanctum in illo ipso vero Deo, qui est Pater & Filius, includi; unde Gregorius Nazianzenus Orat. 5. de Theol. *Colamus, inquit, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum tres proprietates unam divinitatem nec gloria nec honore nec essentia nec regno divisam. Quisquis aliter sentit, nec Luciferum exorientem videat, ut cum Scriptura loquar, nec caelestis splendoris gloriam.*

XVI. Ad 3. cum D. Athanas. in Epist. ad Serapionem, & alijs, Sermonem ibi esse de vento, non de Spiritu Sancto; quippe fatendum, nomen Spiritus significare aliquando ventum, aërem, solem &c. sed hoc non impedit, quominus etiam Spiritum significet, ut advertit quoque ipse Gerhard. in sua Hægoge fol. 313.

XVII. Ad 4. falsum esse, non reperiri in veteri Testamento, & non significare Deum. Nam Genes. 1. v. 2. dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* ubi hebraica phrasis habet Elohim, id est, Spiritus Deorum; qui à Patre & Filio procedit. Isaia cap. 11. v. 2. dicitur: *Spiritus Domini,* ubi secundum hebraeos Tetragrammaton reperitur, & Adonai. Nec dici potest, Elohim non significare Deum; etenim Gen. 1. v. 1. ubi habetur, creavit Deus caelum & terram, dicitur Elohim.

XVIII. Ad 5. à D. Greg. Nazianz. in cit. loco Sapientes nominari non Patres aliquos orthodoxos, & in in Ecclesia probatos, sed quosunque Christianam fidem professentes, etiam si haeretici sint; quemadmodum revera illi fuerunt, quorum aliquas hujusmodi de Spiritu Sancto opiniones refert. Videri potest Valentia Tom. 1. D. 2. Q. 1. punct. 1. §. 25. Ex dictis patet, Erasmus nec verè nec sobriè scripsisse, veteres non ausos fuisse, Spiritum Sanctum appellare Deum.

XIX. Error secundus est Graecorum, Spiritum Sanctum non procedere à Filio, sed à solo Patre. Propugnator hujus erroris post alios accerrimus fuit Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus sub annum Christi 1054. adeo ut Constantini Monomachi Imperatoris favore fretus Leonem IX. Romanum Pontificem cum suis excommunicatum esse proclamare fuerit ausus, & sic error iste in Ecclesia Graeca à quingentis amplius annis communi & aperto jam Schismate viguerit, ut videtur est apud Baron, Anno Christi 857. Valentiam Q. 1. cit. punct. 2. Tanner. Tom. 1. D. 4. Q. 4. Dub. 5. Bellarmin. lib. 2. de Christo cap. 21. & alios. Nam licet Graeci & hunc, & alios errores saepe damnarint, semper tamen, quæ hominum est inconstancia, ad vomitum redeuntes illum receperunt, his maxime argumentis nixi:

XX. Primum: Sac. Scriptura nunquam asserit, Spiritum S. à Filio procedere, sed prorsus contrarium insinuat, quod à solo Patre procedat; quia ejus solius mentionem facit Joan. 15. v. 26. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Non suffragatur Adversarijs Tò *mittam eum ad vos;* Joan. 16. v. 16. etenim aliàs Filius etiam procederet à Spiritu Sancto; quia Isaï 48. v. 16. dicitur, *Dominus Deus misit me & Spiritus ejus;* item Tò *de meo accipiet.* ibidem v. 14. tum quia ibi loquitur tantum in futuro, tum quia ibi fit tantum mentio de Scientia.

XXI. Secundum. In 4. Concilijs generalibus nulla penitus fit mentio de illa processione. Nam 1. In Niceno congregato contra Arium agitur solum contra istum negantem Christi Divinitatem sub Sylvestro Papa II. In 2. Constantinopolitano tractatur contra Macedonium negantem divinitatem Spiritus Sancti sub Damaso Papa. 3. In Ephesino decernitur contra Nestorium asserentem duas in Christo esse personas sub Coelestino Papa. 4. In Chalcedonenfi definitur contra Euty-

chen

then & Dioscorum affirmantes in Christo esse unicam Naturam sub Leone III. Papa.

XXII. Tertium. Additio illa (*Filioque*) non habetur in Codicibus græcis. Deinde in 3. Concilio generali fuit prohibita. Insuper Leo 3. curavit, Symbolum Constantino inscribi in argentea lamina sine illa additione, quæ tamen ante annos ducentos erat facta. Unde demum Romani Pontifices de fraude suspecti fuerunt, quod Symbolo Niceno hæc verba intruserint: *qui ex Patre Filioque procedit.*

XXIII. Quartum. Græci Patres vel expressè negarunt Spiritum Sanctum ex Filio procedere, ut Theodoretus, Theophylactus, Damascenus: vel aliter locuti dixerunt, Spiritum S. à Patre per Filium procedere; imò Photius affirmat, Ecclesiam Romanam etiam Occidentalem exceptis paucis non credidisse processionem Spiritus S. à Patre Filioque &c. Jeremias quoque Patriarcha Constantinopolitanus in Censura ad Confessionem Lutheranam scribit, quod à Synodo Nicena alijsque sequentibus definitum sit, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere.

XXIV. Errorem hunc præter illa, quæ supra attulimus, luculenter refutat & damnat pæna, quæ illum est infecta. Nam postquam Græci Religionem in Concilio Florentino juramento firmatam haud sine levitate mutarunt, atque iterum damnarunt, Machometes Rex Turcarum, Deo Græcis irascente, & ulciscente perfidiam eorum circa processionem Spiritus S. à Patre Filioque, Constantinopolin cepit in ipsis ferijs Pentecostes, & Constantino XI. Imperatore (ut à Constantino ortum cum Constantino deficeret Imperium) interfecto ingentes Nobilitatis ac vulgi strages edidit. An. 1453.

XXV. Respon. ad 1. quamvis adducto Joan. loco nulla fiat mentio Filij, non tamen negari, sed alijs locis sufficienter indicari, ut ostensum. Unde ad illum locum bene August. lib. 3. contra Maximin. c. 14. scribit, *non dici, quia à Patre solo procedit, ad excludendum Filium; sed qui à Patre procedit, ad designandum Patrem esse fontem emanationem divinarum.* Addit Beda in Dominicam Exaudi, *non dicere Filium, procedere Spiritum S. à se, sed à Patre; quia illud prius jam expresserat dicendo, mittam cum ad vos, quam explanationem tanquam communem aliorum Sac. Scripturæ Interpretum affert Tiranus in locum cit. Atque hinc generalis illa Regula est ex Sac. Scriptura: quod omne, quod de una Persona in Sanctissima Trinitate dicitur, id etiam intelligatur de altera, nisi solum in his, quæ unam personam in esse Personæ constituent, quale non est spiratio activa &c.*

XXVI. Fundamentum nostrum ex Joan. 16. non infringitur instantijs allatis. Nam Isaia 48. v. 16. innuitur solum missio Christi secundum Humanitatem ad Redemptionem generis humani à Patre, & Spiritu S. secundum interpretationem Patrum. Quando autem Joann. 16. cit. dicitur in futuro: *mittam eum*, non id fit per respectum ad Mittentem aut ad Missum, quia missio, ut sic, semper fuit, est, & erit, sed per respectum ad Apostolos, ad quos missurus erat. At verò *Tò de meo accipiet*, ponitur in futuro ad signandum, illam acceptionem esse æternam, & completentem eminenter omnia tempora, atque ad ista accomodari posse, ut docet S. August. Tract. 91. in Joan. Licet autem mentio fi-

at solius scientiæ, tamen processio Spiritus S. à Filio rite infertur; si enim ille omnem veritatem accepit ab isto, non alio modo accepit, quam per suam processionem.

XXVII. Ad 2. Inprimis ab auctoritate negativa non valere consequentiam. Deinde à Concilio Niceno non fuisse aliquid definitum; quia nondum erat mota ulla controversia circa processionem Spiritus S. At exortis Macedonianis & Arianis, qui Spiritum S. à solo filio procedere contendebant, primum Concilium Constantinopolitanum addidisse Symbolo Niceno, *qui ex Patre procedit.* Postea subsecuto Græcorum errore, quasi Spiritus S. à solo Patre procederet, Ecclesiam adjunxisse *Filioque*; quæ additio non fuit fraudulenta, quia non inferuit tanquam verba Niceni Concilij, sed tanquam ejus supplementum, idque jure suo, quod habet in universa Concilia, sicut Princeps forum Conciliorum Scriptis, quæcunque vult, adungere potest; quo autem tempore, & à quo Pontifice illa additio facta fuerit, non constat; probabile est, non multò ante vel post annum 600. accidisse: Demum in Concilio Constantinopolitano III. approbatam & lectam fuisse epistolam Cyrilli ad Nestorium, in qua hæc verba continentur: *Spiritus appellatus est Veritas: & Veritas Christus est; unde ab ipso similiter, sicut à Patre procedit:* Item in VII. quod fuit Nicenum II. sub Adriano Papa lectum fuisse Nicenum cum hac additione, *qui ex Patre Filioque procedit.*

XXVIII. Ad 3. Negari, quod non habeatur, quia Latini in Concilio Florentino Sess. 5. & 7. produxerunt antiquissimum exemplar, in quo erat illa additio. Quantumvis autem in illo 3. Concilio generali fuerit prohibitum, ne quid innovaretur circa Symbolum, hoc tamen solum concernit Auctoritatem non habentes; Nunquid aliquid additum fuit Symbolo Apostolorum in Symbolo Niceno, & Constantinopolitano: & huic in Chaceldontensi? Leo III. curavit Symbolum Constantino inscribi in Lamina argentea sine illa additione solum, ut remaneret Symbolum, sicut erat, & ut ei honor redderetur, ne Græci contemni se à Latinis putarent.

XXIX. Ad 4. Quosdam ex PP. non esse curandos, quia vel fuerunt tunc hæretici, ut Theodoretus Episcopus Cyri, qui ab initio fuit Nestorianus, quamvis postea respuerit: vel Schismatici, ut Theophylactus Archiepiscopus Bulgarorum, qui in Commentario ad Caput 3. Joannis reprehendit Latinos, quod credant Spiritum Sanctum etiam procedere à Filio. Vide Bellarmin. de Scriptor. Ecclesiasticis. Cæteri explicari commode possunt; dum enim dixerunt, Spiritum S. procedere à Patre per Filium solum innuere volunt, Filium vim spirandi, hoc est, voluntatem amandi accepisse à Patre, & sic Spiritum S. duplici quasi modo à Patre procedere, uno immediatè, alterò mediatè per Filium; quod enim quis per alium facit, per se ipsum facere censetur. Quæ ex Photio & Jeremia Patriarch. Constantinop. adjecta fuerunt, apertissima sunt mendacia, & ex vano hausta, eodem recidunt. Videri potest S. Thomas in 1. P. Q. 36. Art. 3. Valent. loc. cit. Bernardinus Vetrivveis in Speculo veræ Ecclesiæ à fol. 137. & alij.

XXX. Solum obiter notarim, Lutheranos & Calvinistas turpiter impingere, dum Sectæ suæ ampli-


amplitudinem & antiquitatem à Græcis Schismaticis approbatam volunt. Tum quia Græci in præfenti puncto æquè à Sectarijs, ac Catholicis dissentiunt. Tum quia ad summum ceperunt primùm circa annum Christi octingentesimum. Tum quia in plerisque alijs fidei articulis iidem Græci consentiunt Catholicis, & Sectarios in numerum Sociorum ac Confratrum accipere nolunt.



## CONTROVERSIA X.

### AN CHRISTUS FUERIT VERUS Homo?

**D**E Christo ait D. Paulus ad Philipp. 2. v. 6. & 7. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo, hoc est, figurâ & specie externâ fuit, ut quisvis alius homo, cum tamen esset singulariter Deus-Homo, inquit Chrysof. & Theophylactus. Cum ergo de Divinitate Christi egerimus, porro de ejus Humanitate agendum. An verus fuerit Homo: & an per omnia similis nobis?*



#### PARS PRIOR.

#### DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

**I.** *Doctrina prima.* Christus verus est homo. Ita Fides Catholica ex innumeris Sac. Script. locis; inter quos est allatus Textus D. Pauli ad Philip. 2. Et quando Christus ipse in Evangelijs passim se appellat *Filium hominis*, qui sanè debet esse homo. Singulariter autem evincitur ex Promissionibus Abrahamæ, & Patribus à Deo factis, Messiam ex eorum semine nasciturum, & Filium Virginis futurum. Hinc illud Deuteron. 8. v. 15. *Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, sicut me (Legislatorem scilicet) suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies:* & Isaïæ 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Item ad Gal. 3. v. 16. Paulus vocat Christum *semen Abraham.* Et ad Rom. 1. v. 3. ait de eo: *factus est ei ex semine David secundum carnem; quod tamen non sic intelligendum, quasi immediatè conceptus sit ex femine David, vel Abrahamæ, aut Filiorum utriusque, sed mediatè, quatenus carnem accepit ex Virgine, quæ erat ex illorum semine. Eadem Fidei nostræ veritas speciatim declaratur in Symbolo D. Athanasij his verbis: Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri JESU Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius Deus & homo est; Deus per substantiam Patris, ante sæcula genitus: & homo est ex substantia Matris, in sæculo natus, perfectus Deus, perfectus homo ex animâ rationali, & humana carne subsistens, &c. Quibus verbis ratio hujus veritatis assignatur. Quicunque*

habet animam rationalem, & verum corpus humanum, est verus homo. Sed Christus habet animam rationalem, & corpus humanum. Ergo est verus homo.

**II.** In hoc discursu Major constat ex definitione hominis, cujus tota essentia in his duabus partibus inter se unitis consistit. Minor quoad corpus, patuit ad oculum intuentibus: quoad animam verò effectus docuit; quippe habuit Christus omnes operationes, quas anima rationalis in humano corpore habere solet, locutus est, ratiocinatus est, miratus est, &c. Rursus de Corpore suo ait Christus Lucæ 24. v. 2. *Palpate & videte, quia Spiritus Carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere:* de Anima verò Matth. 26. v. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et Joan. 10. v. 15. *animam meam pono pro ovibus meis.* Advertendum verò quando Joan. 1. v. 14. dicitur: *Verbum Caro factum est,* non significari divinitatem Christi conversam in carnem, ut verba præferunt, sed carnem juxta hebraicum idioma sumi per toto homine, ut sensus sit: *Verbum Caro factum est Homo non per transmutationem, sed unionem, sicut exprimit Athanasius in Symbolo: non conversione Divinitatis in Carnem, sed assumptione Humanitatis in Deum, ut ex sequentibus magis constabit.*

**III.** Porro promissiones de Christo, quas diximus factas Abrahamo & Davidi jam re ipsâ esse impletas, & Messiam de facto venisse, nominatim contra Judæos probant luculenter Theologi multis argumentis in 3. P. D. Thomæ. Præclarum hujus testimonium, & quo passim utuntur SS. Patres, habetur Genes. 49. v. 10. ubi Jacob Patriarcha in benedictionibus Judæ vaticinatur: *non auferetur Sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium;* constat autem ex historicis manifestè, circa tempus adventus Christi ablatum fuisse ex integro sceptrum de Juda, (quæ Tribus primò per Davidem acceperat principatum) & translatum in Herodem alienigenam, neque ullus tunc potest excogitari, quàm Christus, quem nos agnoscimus. Dixi contra Judæos. Nam contra Gentiles nullam Scripturam tanquam Verbum Dei admittentes non potest aliter probari, quam reddendo eam veritatem evidenter credibilem per generalia fidei nostræ motiva, & nominatim per Christi aliorumque miracula in Confirmationem hujus mysterij facta, uti Christus ipse innuit Joan. 10. v. 25. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me;* nempe tam apud eos, qui ea vident, quàm qui ea audiunt, & fide salutem historicâ percipiunt. Contra hæreticos verò unicus ille Locus Joan. 1. v. 14. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis,* adeo clarus est pro ea veritate & Incarnationis existentia, ut superfluum sit, alia, quæ innumera sunt, testimonia referre.

**IV.** *Doctrina secunda.* Unio Verbi cum Humanitate facta est in Persona Verbi seu Supposito, ita ut licet duæ sint Naturæ in Christo, tamen unica tantum sit Persona, propter unicam Subsistentiam, quæ utramque Naturam terminat. Ita omnes Catholici. Supponendum ex Philosophia, hominem componi ex octo partibus; Metaphysicis seu gradibus Entitativis inter se subordinatis; quorum quinque sunt essentielles, scilicet. Ens, Substantiâ, Corpus vivens, Animal, Rationale: tres complentes ac perfectientes Essentiam.

i. Est

1. Est Hæcceitas seu singularitas, vel indivi-  
duatio, per quam distinguitur ab alijs entibus  
eiusdem naturæ, ut Petrus à Paulo.

2. Existentia, quæ tribuit esse actuale, & ex-  
trahit è potentiâ causarum, ubi latebat.

3. Subsistentia seu Personalitas græcè hyposta-  
sis, quæ est ultimum complementum, & perficit  
substantiam, ut non egeat alio sustentaculo vel  
complemento, sed per se & sine alterius conjun-  
ctione possit existere; sic Nubes in aère volans  
nullo eget sustentaculo: columna verò marmo-  
rea, quantumvis solida & omnibus partibus ab  
soluta non potest existere, nisi à terra sustineat-  
ur. Hoc notato;

V. Probatur Doctrina nostra primò ex varijs  
Concilijs contra Nestorium alijsque hæreticos  
duas distinctas Personas asserentes, & unam tan-  
tùm illarum esse verum Deum: alteram verum  
hominem. Sufficiat nobis illud ex Symbolo A-  
thanasijs ab Ecclesia recepto: *Qui licet Deus sit &  
Homo, nondum tamen, sed unus est Christus, unus omni-  
no non confusione substantia, sed unitate persona.* Ex  
quibus verbis habetur, duplicem quidem in  
Christo esse Naturam, unam verò solam Perso-  
nam. Probatur 2. Ratione. Tum quia humanitas  
Christi omnes prædictos gradus naturales, & con-  
creatos habuit, sola subsistentiâ caruit, cujus lo-  
co Filius Dei suam Personalitatem illi communi-  
cavit, & interveniente Unione hypostaticâ quasi  
vinculo sibi colligavit. Tum quia quando dicitur  
Verbum caro factum, id non potest, nisi uno ex his  
duobus modis intelligi, vel quia hypostaticè est  
illi unitum, vel quia Verbum conversum est in  
carnem. At hoc posterius est impossibile, Ergo  
prius illud tenendum, dicendumque, Humanita-  
tatem suâ propriâ subsistentiâ destitutâ subsi-  
stere Hypostasi Verbi, atque ita in Christo esse  
quidem duas Naturas, unicam tamen solam Perso-  
nam ob unicam Personalitatem Divinam.

VI. Dicent. Natura Divina, & Persona non  
distinguantur realiter in Verbo. Ergo si unio fa-  
cta est in Persona, etiam in Natura. Respon. hinc  
solum sequi; Naturam Divinam esse mediante  
Personalitate Verbi unitam humanæ naturæ, &  
eo sensu; nempe mediatè, unionem factam esse in  
Natura, quod libenter admittimus, cum aliud  
inde non inferatur, quàm post unionem esse duas  
Naturas, unam verò Personam. Quàmvis autem  
Natura & Personalitas in Deo non distinguan-  
tur realiter, distinguuntur tamen virtualiter;  
quia una eadèque simplicissima Dei Entitas ob  
sui eminentiam & perfectionum plenitudinem  
æquipollet rebus distinctis, ideòque contradicto-  
ria prædicata secundum diversum respectum su-  
stinet, de qua distinctione plura Theologi, & nos  
nonnihil supra jam diximus.

VII. Cæterum Unio hæc Hypostatica huma-  
nam Naturam tam artè complexa est, ut etiam  
post mortem Christi (licet divisim ab invicem cor-  
pore, & anima, imò etiam loco separatis, cum A-  
nima in Infernis versaretur; Corpus autem in  
sepulchro jaceret) neutram partem reliquerit.  
Hinc Theologi dicere solent, *Verbum nihil dimissit  
se, quod semel assumpsit*; intellige è partibus tō-  
talibus; nam minores particule, quæ vel quoci-  
dianâ vi calor consumptæ sunt, vel in cruce ef-  
fusæ & in terra relictæ, nunc inter Reliquias  
asseruntur, non manserunt Verbo unitæ, ut plu-  
ribus explicant Scholastici.

PARS POSTERIOR

ERRORES HÆRETI-  
CORUM.

VIII. Multi olim & graves Errores contra  
Humanitatem Christi grassabantur, &  
hodie adhuc nonnulli clanculum serpunt in ali-  
quibus Europæ partibus. Primo fuit Manichæo-  
rum à Manete sive Manichæo, qui putaverunt  
Christum tantum habuisse corpus phantasticum  
ex aère confectum, quod colorum & figuræ simi-  
litudine oculis tantum illuderet, sicuti faciunt  
Angeli humanâ specie apparentes. Ita attestatur  
D. August. hæresi 46. Nitebantur maxime illis  
Apostoli verbis ad Philipp. 2. v. 7. supra citatis:  
*Semetipsum exinanivit formam servi accipiens in simi-  
litudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.*  
Ubi tribus verbis formæ, similitudinis, & habi-  
tûs tantum externa species & apparentia, non ve-  
rò hominis essentia indicatur.

IX. Errorem hunc sufficienter jam rejecimus.  
Et veritas Naturæ humanæ in Christo ab ipso-  
met multis argumentis asserta est post Resurrecti-  
onem quadraginta diebus, quando Discipulis  
suis præbuit se ipsam vivum, ut ait Lucas in A-  
ctis Apostolorum cap. 3. unde Luc. 24. v. 12. cit.  
*Palpate inquit, & videte, quia Spiritus carnem & ossa  
non habet, sicuti me videtis habere.* Hinc Joan. 1. cap.  
4. v. 2. dicitur: *omnis Spiritus, qui non confitetur Chri-  
stum in carne venisse, ex Deo non est, & hic est Antichri-  
stus.* Apostolus ad Philipp. per formam non in-  
tellexit externam speciem & apparentiam, sed  
internam Naturam & Essentiam, ut patet ex an-  
tecedentibus verbis: *cum in forma Dei esset, &c.* ubi  
per formam non potest intelligi externa spe-  
cies, sed ipsa Dei Essentia, quasi diceret, cum es-  
set verus Deus. Ergo nec per formam servi in-  
telligenda est externa species, sed interior natura  
hominis. Per similitudinem verò & figuram ho-  
minis potest intelligi exterior species hominis  
hoc sensu: cum esset verus Deus, factus est homo,  
& quoad externam speciem ac modum vivendi  
nobis tam similis, ut purus homo videretur, si-  
cut illum Judæi existimârunt esse; quod fuit ad  
laudem Humanitatis Christi adeo se demittentis  
ad nostram similitudinem.

X. Secundus Error est Valentiniānorum, qui as-  
seruerunt Christum habuisse corpus non terrestre,  
sed cæleste ex materia Cælorum confectum, ideò-  
que non genitum ex Virgine, sed quod per eam  
transierit solum quasi per fistulam aut rimam, ut  
ait S. August. hæresi 11. & alij. Decepti sunt ver-  
bis Apostoli præve intellectis 1. ad Corinth. 15.  
v. 15. dicentis: *Primus homo de terra terrenus: se-  
cundus homo de cælo Cælestis.*

XI. Error iste maxime rejicitur ex illis Sac.  
Scripturæ locis, in quibus Christus dicitur con-  
ceptus de Virgine Isaïæ 7. v. 14. *Eccè virgo concipiet,  
& pariet Filium: natus ex Maria. Math. 1. v. 16.  
Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus  
est Jesus, qui vocatur Christus: factus ex semine Da-  
vid. Ad Rom. 1. v. 3. Qui factus est ex semine David  
secundum carnem.* & passim alibi. Unde patet  
manifestè commentum Valentini; si enim Chri-  
stus ex Virgine nihil sumpsisset, sed per eam tan-  
tùm transivisset, nequaquam dici posset ejus Fi-  
lius

lius, ex eaque natus, ut ostendit etiam Irenæus Lib. 3. cap. 32. Apostolus ad Corinth. non dicit, Christum cœlestem ratione materiae, sed respectu causæ efficientis, quia Cœlesti virtute Spiritus Sancti conceptus fuit.

XII. *Tertius Error* est Apollinaristarum ab Apollinario Laëdiceno appellatorum, qui finxerunt, Christum habuisse quidem verum corpus, sed animâ rationali destitutum, rati ejus loco sufficere Verbum Divinum corpori unitum ad exercendas intellectuales operationes, ut frustra fuerit anima. Ita referunt Epiphanius hæresi 77. & August. hæresi 55. Nituntur verbis illis Joan. 1. v. 14. *Et Verbum caro factum est.* Ergo, inquit, caro tantum, non anima fuit à Verbo assumpta.

XIII. Error hic abunde refutatus est supra doctrinâ primâ, & contra illum extat definitio Ecclesiæ in professione Fidei Catholicæ sub Damaso Papâ, quæ habetur Tom. 1. Conciliorum inter Epistolas Damasi. Item in Concil. Ephes. Can. 3. & alijs. Ratio adducta probat etiam unionem esse tollendam, quia Deus operari potest in corporibus etiam non assumptis, sicuti Diaboli in obsessis corporibus energumatorum loquuntur, discunt, &c. Ad fundamentum ex Sac. Script. jam etiam diximus, ibi carnem accipi per synecdochē pro tota Naturâ humana, ut cum S. Thomâ P. 3. Q. 5. art. 3. communiter explicant Theologi.

XIV. *Quartus Error* est Nestorij, qui ex Hypocrita Presbytero Constantinopolitanus Patriarcha, antiquiores hæreticos secutus negavit unionem factam esse in Persona; hoc est, humanam Naturam ita unitam esse Verbo, ut vi unionis una eademque persona verè ac propriè esset Deus & Homo; unde consequenter asseruit, duas esse personas Deum & hominem, ita tamen ut Deus huic Homini specialissimo affectu & gratiâ conjungeretur, vi cujus moralis conjunctionis aliquomodo ille homo diceretur Deus. Ex quo tria inferebat Consecraria. 1. Christum non significare utramque Personam, Deum simul & hominem, sed solum Hominem. 2. Christum non esse Deum, sed Deiferum. 3. Beatam Virginem non genuisse Deum, sed purum hominem. Hinc impij hæresiarcha vehementer invehit in titulum Deiparæ, nec ferre potuit Beatissimam THEOTOKON appellari.

XV. Error iste damnatus est primò in Concilio Ephesino, & de eo in Synodo V. Generali Can. 5. sic statuitur: *Si quis in mysterio Christi conatur intraducere duas substantias vel personas, & introductis duabus personis unam personam dicit per dignitatem & honorem, sicut Theodorus & Nestorius insipientes conscripserunt, & non constitetur Dei Verbum carni substantialiter unum, & propterea unam ejus substantiam vel personam, anathema sit.* Eundem damnant alia Concilia & rejiciunt omnes Theologi. Inductus est Nestorius in pestilentem hanc hæresin ex eo, quod æstimaret, unam Naturam humanam & Personam esse adæquatè idem; unde intulit, & quidem consequenter, cum ex duabus personis non possit fieri una, hoc ipso non posse fieri unam personam per unionem humanæ Naturæ cum Verbo.

XVI. Notandum hic sedulo, SS. Patres nondum existente hæresis periculo nonnunquam securius, at minus accommodatè ad Dialecticæ normæ rigorem locutos fuisse, sæpe usurpando

nomina Concreta pro Abstractis, ut cum dicuntur *Filium Dei hominem assumpsisse*: aut *hominem unitum fuisse Verbo &c.* Hujusmodi quædam etiam leguntur apud posteriores Patres; utique omnia pio & sano sensu intelligenda, quando ex alijs eorundem PP. testimonijs perspicuè constat, eos Catholicæ fidei synceros fuisse Sectatores. Similiter piè explicandum, si quis forsan ex Veteribus uspiam dixerit, *Christum esse hominem Deiferum*, quod tamen apud SS. PP. hætenus non reperitur.

XVII. *Quintus Error* est Eutychetis Archimandritæ, qui decimo anno post damnatum Nestorium sub annum Domini 451. cum abominaretur errore Nestorij, nec tamen sciret distinguere inter Naturam & Personam, existimavit, non esse alium modum defendendi unitatem personæ in Christo, quàm si dicitur, ex duabus naturis divinâ scilicet & humanâ factam esse Unam Naturam; adeoque negabat in Christo duas naturas hoc ipso, quia secundum ipsum duæ naturæ erant duæ personæ. Cum autem urgeretur, imperceptibile esse, ut ex duabus naturis fieret una natura, eò ineptiarum venit, ut diceret, Naturam divinam conversam esse in humanam, seu in carnem; cum autem hujus propositionis absurditas illi demonstraretur ex eo, quod id, quod convertitur in aliud, desinere debeat: Natura autem divina utique non deserit, mutavit suam mentem, & tandem dixit, Carnem esse conversam in Naturam divinam. Denique ad plures hujusmodi stoliditates admittendas adactus fuit vel ipsemet, vel ejus Sectatores, ut ultimò dicerent, ex duabus naturis factam esse unam mixturem, sicuti fit mixtum ex elementis, quæ non actu, sed tantum virtute in mixto manent. Ita illum intelligunt Bellarm. Suarez, Valentia, Mendoza, Lugo, Ariaga & alij Theologi plerique.

XVIII. Error hic longè absurdissimus est, idèque damnatus à multis Concilijs, præsertim Chalcedonensi Actione 5. in Symbolo Fidei sub Leone Papa. ubi dicitur: *Confitemur in novissimis diebus Filium Dei Unigenitum in duabus naturis, inconfuse, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter cognoscendum; nunquam sublatâ differentiâ Naturarum propter unionem.* Idem refutatur illis testimonijs Scripturæ, quibus asseritur Christus Deus & homo; quippe ipsè asseruntur etiam duæ naturæ incorruptæ.

XIX. Non patrocinator prædicto errori illud in Symbolo Athanasij: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus.* Bene enim S. Thom. P. 3. Q. 2. art. 2. ad 2. respondet, cum in unoquoque nostrum duplex sit unitas, Naturæ scilicet, & Personæ; naturæ quidem secundum quod anima unitur corpori: personæ verò, in quantum est unus aliquis, seu una persona subsistens in carne & animâ, Similitudinem Athanasij non pertinere ad priorem unitatem; quia Natura divina non potest esse corporis forma: sed ad posteriorem; quia ex utraque naturâ in Christo una consistit Persona. Videri possunt cit. Theologi.

XX. Eidem non suffragatur illud Cyrilli recitatum in Concilio Chalcedonensi Actione 1. *Non oportet intelligere duas naturas; sed unam Naturam Dei Verbi incarnatam.* Nam cum per carnem intelligatur ipsa natura humana, certè non natura

tara humana, sed solum Natura divina dici potest incarnata, seu caro facta: aut solum vult Cyrillus contra hæreticos dicere, non esse ita duas naturas, ut etiam supposito distinguantur, in quem modum illum explicat Tanner Tom. 4. D. 1. Q. 31. Dub. 2.

XXI. Error sextus est (omissis alijs) Schvvenckfeldianorum, qui à Gaspare Schvvenckfeldio nominati, & Lutheri antagonista concedunt quidem Christo unum corpus & animam, sed affirmant, corpus post ascensum in Cœlum fuisse Deificatum, non quidem per transmutationem in Deum, cum adhuc haberet ossa, carnem, Sanguinem &c. Sed per novam unionem cum Divinitate, sicut caro insamata, ignita, illuminata &c. hæc enim similitudinibus utuntur, idque persuadere conantur ex aliquot Scripturæ locis.

XXII. Joan. 17. v. 5. Christus oravit ad Patrem: *nunc clarifica me Pater apud te ipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te.* Ubi Christus non petit clarificationem suæ Divinitatis, quam semper habuit, sed humanitatis, non per creatam aliquam, quæ non fuit, priusquam mundus fieret, sed per claritatem divinam. Petit ergo, ut sua caro Deificaretur, & per novam unionem Deus fieret. Deinde Apocalyp. 5. v. 12. Joannes adducit Angelos in Cœlo clamantes de Christo: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem;* Atqui non potest accipere Divinitatem, quæ Deus. Ergo quæ homo, ut ipse Christus insinuavit Math. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra.* Apost. ad Ephes. 1. v. 20. Summam Christo tribuit potestatem, ut nihil sublimius cogitari possit, adeoque divina esse debet, sic enim ait: *Secundum potentiam virtutis ejus, quam operatus est in Christo suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in Cælestibus supra omnem potestatem, & principatum & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subiectis sub pedibus ejus.* Ergo fecit illum Deum. Actorum 2. v. 23. ait Petrus: *Certissimè sciat omnis Dominus Israël, quia & Dominum Eum, & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis;* quod dominium planè divinum esse, patet, ex antecedentibus verbis Psal. 107. quibus utitur Petrus: *Dixit Dominus Domino meo, sede à Dextris meis.* Atqui sessio à Dextris Dei significat æqualitatem cum Deo, ubi primò post passionem collocatus est; etenim de tempore locutus est David, ut patet ex contextu totius Psalmi.

XXIII. Error iste pluribus refutatur in Disp. P. Joan. Busæi. Ego puto minime illis indigere, cum clarè coincidat in hæresin Eutychetis paulò ante rejectam, & Ubiquistarum, de qua opinione infra dicemus. Actorum 10. v. 42. de Christo dicitur: *Ipse etiam, qui à Deo constitutus est Judex vivorum ac mortuorum;* & Joan. 5. v. 27. *Potestatem Dedit ei (Pater) judicium facere; quia Filius hominis est.* In quem locum D. August. Tract. 19. in Joan. *Judicium, inquit, à Filio per eam formam est futurum, quam non habet Pater.* Ergo Christus post ascensionem suam habet & retinet Naturam humanam; hanc quippe non habet Pater; & quomodo aliàs Filius hominis facturus esset judicium, si natura humana in Christo non perstisset, sed in Deitatem transisset. Ait Schvvenck-

feldius, Humanitatem Christi non destrui; nec transmutari in Deitatem, sed huic de novo cum sui exaltatione uniri. Sed contra. Vel Natura humana per hanc novam unionem manet eadem, sicuti prius erat, vel acquirit verè divinum Esse; si prius; in re assentitur Catholicis, quamvis male loquatur, & frustra novam unionem ponat; si posterius, planè cum Eutychianis sentit, quidquid enim in se ipso (non in eodem solum supposito) habet divinam Essentiam & proprietates, non est amplius humanum & creatum. Natura humana habet in se ipsa (non in eadem duntaxat Persona) divinum Esse, & proprietates. Ergo non est amplius aliquid humanum & creatum, sed cum destructione sui transijt in Deitatem, aut cum hac confusa fuit, ut tertia aliqua natura enasceretur, sicuti voluere Eutychiani.

XXIV. Ex S. Scriptura miror Schvvenckfeldium argumentari contra nos, cum ipse totam Sac. Scripturam contemnat solo instinctu Spiritus S. fultus. Sed nec ejus intento favent allata testimonia.

XXV. Joan. 17. claritas, quam Christus petivit à Patre, non fuit nova collatio divinitatis, sed ejus præhabitæ manifestatio, ut ab hominibus agnosceretur verus Deus, qualis ab initio fuerat. Aut si de cælesti gloria sermo sit, ut putat Tiritinus, petit Christus, ut gloria illa, quam ab æterno, ut Deus, habuit, etiam communicetur & diffundatur in carnem, non istam immutando in Deitatem, sed exaltando, ut præ omnibus alijs Sanctis ad dexteram Dei accedat, & emineat non in dignitate increata, sed creatâ, ut rectè cum alijs citatus Auctor.

XXVI. In Apocalyp. 5. acceptio Divinitatis significat adorationem Deo debitam, quasi diceret Angelus: *dignus est Agnus, ut colatur tanquam Deus, quia verè est Deus,* ut cum S. Thom. 3. P. Q. 19. a. 3. communiter exponunt ceteri Theologi, & Sac. Scripturæ Interpretes.

XXVII. In Epist. ad Ephes. 1. Exaltat id super omnes creaturas Christo etiam quæ homini competit; quia omnes sunt illi subiectæ, sed Infrâ Deum; quia dominium in omnes creaturas Deo per se competit à nullo alio acceptum, nec ab ullo dependens: Christo verò quæ homini dominium fuit concessum à Patre, atque ab hoc dependens. Ita ex August. Hieronym. & alijs in cit. locum Tiritinus.

XXVIII. In Actis Apost. 2. & Psal. 107. Sessionem ad dextram non significare æqualitatem cum Deo, sed proximam dignitatem post Deum; sicuti Mater filiorum Zebedæi Math. 20. v. 20. petit à Christo: *dic ut sedent hi tui filij mei unus ad dextram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo.* utique non cupiens illos Christo Regi pares fieri, sed proximos officiales.

XXIX. Dicit Schvvenckfeldius, Patres & Theologos per Sessionem ad dextram Patris intelligere summam ac perennem Christi Dei & hominis dignitatem, auctoritatem, potentiam, beatitudinem & gloriam. Respon. verum esse; quia suprema illa dignitas convenit Christo non solum secundum Divinitatem, sed etiam secundum Humanitatem, sed non pari modo; etenim Christo Deo convenit increata & divina: Christo verò homini solum creata, ut bene declarat S. August. Lib. de Fide & Symbolo cap. 7. quæ digni-

dignitas creata respectu Christi, quā hominis, nihil aliud est, quā ipsum esse in potestate, dignitate, & gloria primum seu proximum post DEUM.

## CONTROVERSI A XI.

*AN CHRISTUS QU A HOMO  
nobis per omnia fuerit similis?*

lamvis, ut diximus, Christus inventus fuerit, ut homo, hoc est, Essentiā humanæ Naturæ nobis omnino similis, ut docet etiam S. August. Tract. 17. in Joan. & alij. Attamen in Accidentibus seu adjunctis multas prærogativas habuit tam in corpore, quā in anima. De quibus, nunc agendum, & aliquid etiam obiter dicendum de modo & circumstantijs partus Virginis; quæ; licet ad propositum facere non videantur, cum controversa inter nos & hæreticos non sint, quia tamen præstantiam corporis Christi ostendunt, idque supra cætera Hominum corpora extollunt, silentio præterire nolui; siquidem non est animus, solos hæreticos refellere, sed etiam Catholicos erudire & stabilire.

### PARS PRIOR.

#### DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Corpus Christi fuit quidem formatum in utero Beatissimæ Virginis tanquam loco conceptionis naturali: modo tamen diverso & nobiliore. Prima pars aperte patet ex Math. & Luca. 1. Et ex purissimis sanguinibus Beatissimæ Virginis fuisse Corpus Christi formatum ex San. Damasceno Lib. 3. cap. 2. docet S. Thom. Parte 3. Q. 31. art. 5. cum cæteris Theologis, habeturque in 6. Synodo. Actione 11. Epist. Sophronij. Hoc namque ad Maternitatem Virginis, & generationem Christi ex Virgine planè necessarium erat; siquidem juxta Aristot. de gener. animal. cap. 18. & 19. materia humanæ conceptionis est sanguis mulieris defæcator.

II. Secunda pars declaratur. Juxta communem Doctrinam Medicorum nos homines ita concipimur. Inprimis maternus sanguis, ex quo formandum est corpus, in certum locum uteri materni, hoc est, in matricem colligitur. Deinde sanguis ita collectus ope seminis paterni in certa membrā figuratur, prout anima rationalis postulat, quæ figuratio aliquot menses durat, sicuti de semetipso testatur Salomon Sapient. 7. v. 1. *Sum quidem & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre Matris figuratus sum Caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somni conveniente.* Denique corpore sufficienter formato seu figurato Deus infundit animam, fitque homo exiguæ admodum parvitat. At corpus Christi ex purissimo virginis sanguine absque ullo semine paterno intra momentum ope Spiritus S. formatum, animatum, & Ver-

bo unitum fuit, nempe in ultimo instanti consensu materni, hisce verbis expressi: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum, Luc. 1. v. 38.*

III. Dixi 1. in verbis Salomonis *decem mensium tempore.* Nam licet aliqui nascantur septimo; octavo, decimo, vel undecimo mense; quia tamen optimi & perfectissimi fines sunt novem menses Solares, seu decem Lunares inchoati, & hic sit maximè naturalis ac communis terminus, idcirco istius solius Salomon meminit, cum de suo natali mentionem inducit. Videri potest Tirin. in cit. locum. Dixi 2. Corpus Christi intra momentum formatum; ubi tamen hic ordo est servatus, ut 1. puriores partes sanguinis fuerint delatae in suum locum generationis destinatum. 2. ut ille sanguis fuerit figuratus. 3. ut condensatus fuerit secundum proportionem loci continentis. 4. ut in ipsum sic alteratum & dispositum fuerit introducta materia organica. 5. ut Anima rationalis in Corpore jam organizato fuerit creata. 6. ut ex unione animæ cum corpore resultaverit Humanitas. Et tandem 7. immèdiatè subsecuta fuerit unio Verbi cum Humanitate. Hinc surgunt nonnullæ Quæstiunculæ breviter dissolvendæ.

IV. *Prima.* An organizatio Corporis Christi facta fuerit cum Anima rationali & Unione hypostitica in uno eodemque instanti? Respon. organizationem sumi posse duobus modis. 1. pro introductione formæ substantialis in materiam jam dispositam. 2. pro transmutationibus illis præcedentibus, quæ sunt præsertim duæ, scilicet transportatio materiæ in locum aptum, & ejusdem alteratio, id est, dispositio, figuratio, condensatio; hoc posito. D. Thom. 3. Part. q. 32. art. 4. & nonnulli Theologi existimârunt, in humana generatione Matrem non concurrere activè, sed solam ministrare materiam, adeoque totam efficientiam Spiritui S. tribuerunt, qui utique in instanti eam ponere potuit. Sed D. Bonavent. in 3. Dist. 4. art. 2. q. 1. & plures alij Theologi sentiunt, Matrem etiam effectivè concurrere in illa transportatione materiæ, & ejusdem alteratione, qui idcirco docent, organizationem Corporis Christi. 1. modo sumptam in instanti evenisse, postis enim ultimis dispositionibus; quæ ad introductionem formæ requiruntur, statim ea forma ponitur. Uno igitur eodemque instanti introducta fuit in Corpus Christi forma substantialis, & facta Animatio; atque Incarnatio; Animatio quidem, quia aliàs mulier non diceretur mater hominis: Incarnatio verò, tum quia aliàs natura humana fuisset in se persona personalitate propriâ, tum quia Maria non diceretur Mater Christi, quod tamen definitum fuit in Concilio Chalcedonenſi Actione 4. 2. autem modo acceptam organizationem tradunt ijdem Auctores, eam non accidisse in instanti, quia agens naturale non potest illas transmutationes facere in instanti. Attamen cum vis activa Beatæ Virginis roborata fuerit virtute Spiritus Sancti, ideo organizatio Corporis Christi brevissimo tempore facta fuit. Unde infert bene D. Anselmus Lib. de Concept. Virginis cap. 11. *Beatam Virginem Mariam fuisse Matrem hominis Dei & naturalem & miraculosam;* illud quia habebat potentiam generativam, licet remotam, & secundum illam egit in formatione corporis Christi: hoc verò, quia ejus potentia non fuit reducta ad actum per operationem homi-

hominis, sed Dei in instanti aut brevissimo tempore. Videatur Tanner Tom. 4. Disp. 2. q. 2. dub. 9.

V. *Secunda.* Quare conceptio Christi tantum tribuatur Spiritui Sancto; cum etiam Pater & ipse Filius concurrerint; docent enim Scholastici, externas Dei operationes (qualis fuit Conceptio) esse communes toti SS. Trinitati & omnes tres Personas pariter concurrere v. g. ad creationem Mundi. Respon. ad hanc Opera Christi conceptionem totam quidem Trinitatem concurrisse, sed eam Spiritui Sancto peculiariter adscribi, tanquam Personali ejus Proprietati singulariter convenientem; Nam juxta Patrum & Theologorum consuetudinem communia opera Trinitatis illi Personae peculiariter appropriantur, cuius personali perfectioni illud opus magis responderet. Sic creatio & similia opera Potentiae divinae appropriantur Patri; quia iste est à semetipso primum principium etiam reliquarum Personarum: opera Dei Sapientiae appropriantur Filio, quia est Verbum Intellectuale: Opera denique Charitatis appropriantur Spiritui Sancto, qui est Auctor divini amoris. Adscribitur igitur Incarnatio & Conceptio Christi Spiritui S. tum quia fuit maximum opus divinae charitatis, tum quia facta est gratis non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia, quae itidem Spiritui S. attribuitur. Tum quia homo ille, qui concipiebatur factus, est Sanctus, & Filius Dei; quod utrumque ipsi etiam Spiritui San. attribuitur, ut notavit S. Thom. Q. 32. cit. art. 1. in corp. & ad 1.

VI. *Tertia.* Quomodo Christus descendit de Caelo in uterum Virginis juxta Symbolum Nicenum: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de caelo; & incarnatus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus est.* Nam hic descensus de caelo nec divinitati, nec humanitati ejusdem congruere videtur; non Divinitati, quia haec non potest loco moveri, cum sit ubique, & sua Immenfitate omnia repleat; non Humanitati, quod enim descendit de Caelo, debet prius fuisse ibi, sicuti nemo potest descendere de monte, nisi prius fuerit in monte, sed Humanitas Christi non fuit prius in caelo, sed primum in utero matris creata fuit. Ergo non descendit de Caelo. Respon. descensum hic non significare formalem & proprium motum localem; sed effectum similem motui locali, quia Filius Dei praexistens in Caelo, & repente apparens in terra videbatur descendisse de Caelo, quando enim aliquem vidimus in monte existentem, & postea in valle apparentem, putamus illum descendisse de monte. Ita Filius Dei repente in carne apparens putatur de caelo descendisse; sicuti Spiritum Sanctum vidit Joannes Baptista descendentem de Caelo, idest, visibiliter apparentem, cum antea latuisset Joan. 1. v. 32.

VII. *Quarta deniq. Quaestio est.* Utrum Christus secundum Humanitatem sit Filius Spiritus Sancti, quandoquidem ab eo peculiariter formatus est magis, quam ullus homo à suo Patre, adeoque supplevit vices Patris. Respon. negative, quia hoc solum dicitur de viventibus, quando ex ipsa vi productionis unum procedit ab alio in similitudinem perfectam Naturae, quam similitudinem cum Spiritu Sancto Christus secundum humanam naturam (quae hujus productionis for-

malis est terminus) non habet. Ergo non est Filius Spiritus Sancti.

VIII. *Doctrina secunda.* Nativitas quoque Christi multò alia fuit à nativitate reliquorum hominum, & hac longè felicior; utpote ex Virgine, & absque hujus ullo dolore. Explicatur. Egressus caeterorum hominum ex utero matris est planè miserabilis; quia & matri ingentes dolores creat perumpendo aut distendendo viscera, & ipsi infantes facti ac pleni fordibus egrediuntur cum ejulatu & genitu, quamprimum sentiunt aëris frigiditatem praecalore uteri materni; Sicuti etiam fatetur Salomon loco cit: v. 3. *Et ego natus accepi communem aërem, & in similitudinem factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisit plorans, in involumentis nutritus sum; nemo enim ex Regibus aliud habet nativitatis initium. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.* Ajunt verò periti ex prima voce infantium dignosci posse, utrum sint masculi aut femellae; masculos enim clamare A. femellas E. quasi illi invocarent Adamum: istae verò Evam juxta initiales istorum litteras.

IX. Christi autem Nativitas felix fuit. *Primo.* Quia fuit ex Virgine, ut docet fides, & traditur satis clarè in Sac. Script. Isaia 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium. Non enim, inquit Ambros. Epist. 81. concepturam tantum virginem, sed & parturam virginem dixit.* Sic igitur miraculosè Christus penetravit uterum Virginis, uti postea janus clausus intravit ad discipulos Joan. 20. v. 26. Caeterum perpetua Beatissima V. Mariae virginitas etiam post partum definitur à Martino V. in Concilio 1. Lateranens. Consult. 5. Can. 3. apud Tanner Tom. 4. fol. 533. his verbis: *Si quis secundum SS. PP. non constetur proprie & secundum veritatem Dei Genitricem Sanctam semperque Virginem & Immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter & veraciter, qui à Deo Patre ante omnia secula natus est; in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu S. & incorruptibiliter eum genuisse indissolubili permanente & post partum ejusdem Virginitate, condemnatus sit.* Huc etiam spectat articulus Symboli Apostolorum: *Natus ex Maria Virgine, in quo Fideles Mariam absolute Virginitatem profitentur.* Accedunt Patres tum alij apud Valentiam Tom. 4. D. 2. Q. 2. Tum ij, qui ex instituto contra Helvidium perpetuam Virginitatem Mariae defenderunt; è quibus Hieronym. peculiari libro contra Helvidium, & Hildephonsus, de quo Eutrandus apud Vasq. D. 121. c. 2. n. 23. Anno 659. sic scribit: *Hereticos Narbona venientes, natione Gortos Teudium & Hellagium per Hispaniam vagantes, & de Virginitate B. Mariae Virginis blasphemè loquentes P. Hildephonsus, editis libris, confutat, & à Rege Recaredo tota Hispania facit exterminari.* Pro confirmatione ejusdem perpetuae Virginitatis facit, quod habetur in vita S. Aegidij tertij Francisci Assisiatii athenae. Is virum è D. Dominici familia eximie doctum, & de perpetua Virginitate Deipatae dubium sibi difficile consentientem tali prodigio contra ancipitem cogitationem confirmavit: ter scipione terram impulit, dicto singulos ictus profecutus hoc ordine: *Maria Virgo ante partum: Maria virgo in partu: Maria Virgo post partum, & mox lilia totidem ad scipionis impulsam Aegydiique vocem solo emerferunt.*

X. *Secundo.* Nativitas Christi non attulit ejus Matri Virgini ullum dolorem, qui ex distensione viscerum nascitur, nec membranam illam, quæ dicitur claustrum Virginitatis, dissipit; non enim decebat eam doloribus partus cruciari, quæ in conceptu nullam carnalem voluptatem fenserat. Ita communiter Patres & Scholastici, è quibus D. Gregor. Nazianzenus Theologus de Christo patiente ita scribit: *Expers (Maria Virgo in partu) laboris & doloris extitit incorrupta & integra &c.* Sed quomodo potuit esse absque dolore & incorruptione cum ejus aperta fuerit vulva juxta illud Exodi 13. v. 2. *Sanctificate mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel.* Respon. Christum nascentem non referasse vulvam Matris, sed claustrum Virginis uterum penetrando exiisse in lucem. Ita Cyrillus Hieros. & Hormisdas Papa Epist. 1. c. 3. Videatur Cornelius à Lapide in locum cit. Atque in hunc sensum intelligendus Ambrosius lib. 2. in cap. 2. Lucæ; sicuti enim iste, ita etiam illi aliud non volunt, quam Moyse Exod. cit. juxta interpretationem Patrum, quos plures adducit Valentia Tom. de Controversiis fidei fol. 402.

XI. *Tertio.* Nativitas Christi fuit absque ullis consueti puerperij sordibus in Matre Virgine. Ita sæpe indicant SS. PP. ex quibus S. August. Lib. 29. contra Faustum c. 3. & 4. *Sulte, inquit, unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine Patre?* ubi ratio indicatur; Nam sordes puerperij veniunt ex commixtione seminum, & ex eo, quod partes aliquæ seminum superflue ad formationem corporis egrediantur ex meatuum apertione. Sed in B. Virgine nec sigillum fuit ruptum apertione uteri, nec in ea erat aliquid superfluum &c. Hinc etiam Corpus Christi mundissimum apparuit, sicut etiam in reliqua vita nec corpus ejus, nec linteamina aliquid fætoris exhalârunt, sed potius suavissimum odorem sparserunt, ut merito illi accommôdes illud Ecclesiastici 24. v. 21. *quasi balsamum non mistum odor meus.* Ex quo facile est cogitatu, qualem voluptatem hauserit B. Virgo ex tactu & amplexu Christi, cum aliæ Matres ex suorum infantium sordibus & fætoribus magnam molestiam sentiant.

XII. *Doctrina tertia.* Corpus Christi in reliqua etiam vita multiplicem diversitatem & præstantiam habuit. Nam 1. potuit sine cibo & potu vivere, quamdiu voluit, sicuti in deserto 40. diebus jejunavit Math. 4. v. 2. potuit aquas transire sine navibus, sicut fecit Math. 14. v. 22. 3. potuit se invisibilem facere, sicuti fecit Lucæ 4. v. 3. *ipse autem transiens per medium illorum ibat,* scilicet non visus. 4. Solo tactu panni potuit se momento pingere, sicuti fecit in linteo Veronicæ, & in linteo sepulturæ. 5. potuit totum corpus ad indivisibilem redigere, ut fecit in Eucharistia. 6. potuit esse in locis pluribus distantibus, sicuti in stomachis communicantium. 7. denique vestis ejus non est detrita, sed semper mansit integra, & cum ipso crevit, atque adhuc asservatur Treveris. Nihil horum poterunt cæteri homines, nisi divinâ vi ad aliquid horum subleventur.

XIII. Cæterum quamvis Christus communis hominum miserias non refugerit, famem, sitim, fatigationem &c. tum ad veritatem naturæ comprobendam. tum ad exemplum patientiæ nobis præbendum, nullum tamen morbum admisit, quia non decebat Christum omnium morbo-

rum Medicum & Curatorem, præsertim cum morbi non ex communi naturæ constitutione, sed ex peculiaribus defectibus inordinati vitiis aut malæ complexionis proveniant: Ipsi autem Spiritus Sanctus optimam complexionem dederit, & ipse temperantissimè vixerit.

XIV. Objici potest, morbos non semper oriri ex interno defectu corporis, sed nonnunquam ab extrinseca aëris inclementia provenire, unde etiam Christus potuerit morbum contrahere. Respon. illas graviore aëris injuriæ prudenter fuisse à Christo devitatas, leviores autem complexionis robore superatas. Sed urgetur, si Christus nulli morbo fuit obnoxius, tum fuisset immortalis, nisi violentâ morte sublatus fuisset; etenim si Medicis credimus, nemo sine febre moritur. Respon. illum nihilominus naturaliter moriturum fuisse præ nimio senio deficiente nativo calore & humido radicali, qui defectus propriè non est morbus, licet vulgò dicatur: senectus ipsa est morbus. Hæc tamen cum isto limite sunt intelligenda: nisi Christus uti voluisset medio extraordinario, quod paratum habebat.

XV. Demum Corpus Christi fuit pulcherrimum, & ipse speciosissimus, ut bene de illo dici possit: *speciosus formâ præ filiis hominum.* Psal. 44. v. 3. eâ tamen formâ, quæ minimè fuit muliebris, sed quæ aptissimè conveniebat viro. Hoc suadent tum communis sententia Patrum ex cit. loco Script. tum quia omnibus modis perfectiora sunt, quæ sunt virtute divinâ causam naturalem supplente. tum quia hoc testantur Nicephorus Lib. 1. cap. 40. & Josephus Lib. 18. Antiquitatum cap. 16. tum quia sic conveniebat, ut scilicet erga eum facilius bene afficerentur homines; etenim gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

XVI. *Doctrina quarta.* Anima quoque Christi multis privilegijs antecelluit cæterorum hominum animas. Explicatur. *Primo.* Si vera est Sententia Magistri. D. Bonav. in 2. Dist. 41. & quorundam Theolog. & Philosoph. animas rationales hominum perfectione substantiali individuali inter se differre; tum Anima rationalis Christi multo perfectior fuit cunctis animabus hominum. Faver autem huic opinioni Salomon Sapientiæ. 8. v. 19. *agens de se: puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam, & cum essem magis bonus, veni ad corpus in coequinatum.* Ubi præstantiam sui ingenij non attribuit bonæ dispositioni corporis, sed è contra bonam dispositionem corporis attribuit bonitati animæ, tanquam causæ.

XVII. *Secundo* non contraxit peccatum originale, nec ejus contrahendi debitum habuit. Quia Christus in Adamo non peccavit, cum in ejus virtute generativa tanquam effectus aliquando secutus non fuerit contentus, sed absque semine virili Spiritus Sancti Virtute fuit conceptus. Unde apertum adhuc est discrimen inter Christum, & Beatissimam Virginem Mariam, quantumvis hæc etiam pie credatur, nec peccatum originale, nec proximum hujus contrahendi debitum habuisse; ille enim habebat prærogativam istam per se, utpote extra consuetum naturalem modum ab Adamo descendens: hæc verò per solum Specialem Dei favorem; cum enim communi cunctis hominibus naturali modo ab Adamo descenderet, ideoque pacto, quod Deus cum Adamo ejusque posteris fecerat, includi deberet, ob

merita

merita Christi prævisa fuit ab isto pacto (quæ odiosum est) exempta, & sic tam à peccato originali, quam proximo hujus contrahendi debito præservata, ut fuse ostendi in Disp. mea de Immunitate B. Virginis Mariæ à peccato originali, ejusque debito contrahendi &c. Aliud etiam nullum peccatum in Christo locum habuisse, mox dicemus.

XVIII. Statim in primo puncto Conceptionis Anima Christi habuit usum rationis (quem nos ante septennium vix acquirimus) juxta illud Jerem 31. v. 22. *creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum*, nempe Maria utero suo Christum, qui licet staturâ & ætate sit adhuc infans, tamen in primo instanti conceptionis vir est Sapientiâ, gratiâ, & gloriâ perfectus, ut omnes Patres & Doctores exponunt. Hunc Rationis usum etiam in somno retinuit, quia species habuit infusas à phantasia independentes. Ergo potuit illis uti sine conversione ad istam. Advertit etiam S. August. Lib. 15. de Trinit. c. ultim. necessitatem conversionis ad phantasmata oriri ex peccato, quod utique non erat in Christo.

XIX. *Quartò.* Anima Christi habuit statim omnis generis Scientias. Ita omnes Catholici juxta illud ad Coloss. 2. v. 3. *In quo, scilicet Christo, sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi.* Quatruplex autem assignatur Scientia. Increata Beatifica, Infusa, & Aquisita. Per primam harum Humanitatem Christi non cognovisse, certa est inter Theologos sententia, & conformis modo loquendi Patrum & Sac. Scripturæ, quæ manifeste negat Humanitati Christi effectum formalem volentis à volitione Divinâ, ut patet ex illis verbis Lucæ 22. v. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Eadem autem est ratio de Cognitione divinâ, quia neutra Humanitati immediate unitur. Confirmatur. Nulli creaturæ intellectualem denegatur cognitio proportionata suo intellectui. Ergo neque Christo, ut Homini.

XX. Alteram Beatificam habuisse Christum tanquam hominem quoad animam, omnes tenent Doctores teste Arriaga Tom. de Incarn. D. 36. num. 2. & quidem ante Resurrectionem, imò statim in primo instanti conceptionis; non enim erat ulla ratio tardius conferendi, cum non sit collata in præmium, sed tanquam debita Filio Naturali, cui debetur visio sui Patris & Hæreditatis possessio; Siquidem Mors Patris non erat expectanda, sicuti in humanis; corporis autem gloriam suspendit Christus, donec pro nobis patiendo satisfecisset, licet eam subinde emicare permiserit, ut in monte Thabor. Differt hæc visio Beata ab alijs generibus scientiarum per suum objectum formale, quod est ipse Deus clarè visus, & in eo tanquam in medio, creaturæ velut objectum materiale.

XXI. Quare Christus per istam Scientiam vidit i. omnia, quæ sunt formaliter in Deo, cum etiam ceteri Beati eadem in Verbo videant ex communi T. 2. Plurima possibilia, non tamen omnia. Ratio prioris est, quia ex communi DD. sententia Beati in Deo cognoscunt aliqua possibilia: Ergo cum eò magis cognoscatur effectus, quò perfectior est causæ cognitio, & hæc in Christo longè perfectissima fuerit, quam plurima possibilia Christus in Deo cognoverit, necesse est. Ratio posterioris est. Quia cognitio omnium pos-

sibilia in Deo nec possibilis est, cum aliâ Deus comprehenderetur juxta S. Augustinum Epist. 112. c. 8. quod fieri non posse, ex Fide tenemus: nec pertinet ad statum Christi; quippe decens est, scientiam Christi circa res creatas non tantum intensivè, sed etiam extensivè superari ab increata Dei Scientia, præsertim necessaria, atque adeo scientia increata Deipossit etiam quoad nova objecta semper perfectius & perfectius participari à quacunque scientia saltem de factò creata. 3. Vidit per eandem scientiam Beatificam omnes res præteritas, præsentis, & futuras in suâ quaslibet temporis differentia. Ratio est, tum quia Christo concedenda est omnis perfectio, ipsius statui aut decretis Dei non repugnans, tum quia ex communi Auctorum singuli Beati clarè & distinctè cognoscunt in Deo, quidquid ad suum statum pertinet; aliâ non sunt planè contenti nec ex omni parte felices. Atqui ad proprium statum & dignitatem Christi etiam ut Hominis spectant omnes omnino creaturæ, præteritæ, præsentis, & futuræ cum ipse sit Caput & Causa finalis omnium prorsus creaturarum. Ergo &c.

XXII. Tertia Scientia est Infusa, quæ cognoscuntur res creatæ in se seu proprio genere, & per species proprias. Hanc scientiam per se infusam ac supernaturalem Christum etiam habuisse, & quidem à primo instanti Conceptionis, communis est DD. sententia cum S. Thoma 3. P. Q. 9. art. 3. & q. 11. tota. Nam cum res supernaturales clarè & intuitivè extra Verbum cognosci possint, non est negandum, quin eo modo à Christo cognoscantur, cum hoc ad majorem ipsius perfectionem conducat. Cognovit igitur per istam Scientiam, primò plurimas res merè possibiles. Secundò res naturales & quidem omnes tam existentes etiam secretissimas hominum cogitationes & affectus, quam præteritas & futuras, liberas quoque vel aliter contingentes, imò nonnullas saltem ex futuris conditionatis. Tertiò supernaturales v. g. gratiam sanctificantem, habitus & actus supernaturales, Unionem hypostaticam &c. Quartò mysteria gratiæ & Dei decreta. Unde Apocal. 5. v. 9. dicitur, *Reserasse sigilla libri, in quo erant descripta futura.* Deum autem quidditivè & in se ipso per hanc scientiam non cognoscebat, cum sit extra objectum istius scientiæ, sed solum extrinsecè in alio ac per species Ratio jam est insinuata, desumpta scilicet ab officio & excellentia Christi. In usu hujus scientiæ infusæ necesse non fuit, ut Christus se ad phantasmata converteret, quia utebatur speciebus infusis, quæ ut non erant à rebus sensibilibus acceptæ, ita independenter ab ijs, earumque phantasmatis agebat, quamvis etiam speciebus naturalibus & per phantasmata aquisitis circa objecta naturalia uti potuerit.

XXIII. Quarta & ultima scientia est Aquisita, quam fuisse in Christo, sumitur tum ex illo D. Pauli ad Hebr. 4. v. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia.* Quasi diceret cum expertus fuerit omnes nostras miseras, facile compati potest &c. Tum ex eo, quod Christus sensibus fuerit usus eodem modo, quo reliqui homines, & consequenter per illos actus acquisiverit notitias aliquas permanentes, quas vocamus scientiam Aquisitam. Cognovit igitur Christus per hanc Scientiam objecta sensuum externorum;

item substantias materiales per species alienas, & substantias spirituales per species rerum materialium; sicut cognoscuntur à nobis. Rursus omnia secreta cordium, omniaque existentia. Demum probabiliter aliqua ex rebus possibilibus per species sumptas ex rebus nunc existentibus; etenim instar harum manifestari ipsi à Deo possunt. Ratio omnium est; quia ita fieri potest, estque ad dignitatem Christi. Cæterum species eorum objectorum, quæ successu temporis (juxta varias occasiones, in quibus extiturus Christus à Deo prævidebatur) per sensus cogniturus erat, non fuerunt infusæ, sed illas acquisivit, ut constat ex verbis ad Hebræos 5. v. 8. *didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam*; quod non subsisteret, si Christus decursu temporis & exercitio actus nullam scientiam acquisivisset; species autem illorum objectorum, quorum decursu temporis illas prævidebatur non acquisiturus; per accidens fuerunt Christo infusæ. Atque hanc scientiam absolute vocamus Acquisitam, sicuti priorem experimentalem. Fundamentum est; quia non debemus Christo negare eas cognitiones naturales, quas alijs hominibus concedimus. Atqui eas non poterat per se acquirere. Ergo debuit illas species habere per accidens infusas. Plura de scientia Christi videri possunt apud Bellarm. lib. 4. à cap. 1. & Scholasticos.

XXIV. *Quintò.* Voluntas Christi fuit prorsus impeccabilis, ut manente Unione hypostaticâ etiam per absolutam Dei Omnipotentiam peccare non potuerit, sicuti communiter tenent Theol. & Patres, quos magno numero recitat Suarez. de Incarn. D. 34. Sect. 2. & alij. Ratio desumitur ex summa Sanctitate, quæ Humanitati per unionem Verbi communicatur; iste enim effectus formalis videtur omnino repugnans etiam divinitus cum omni peccato; siquidem oppositio summa cum peccato sine dubio est perfectio intra genus sanctitatis: est eadem absque contradictione excogitabilis. Ergo oppositio ista debet eidem sanctitati concedi. Unde confirmatur prædicta ratio. Sanctitas illa divina habet essentialem oppositionem in se cum peccato. Ergo, cum communicet Humanitati suum effectum formalem, debet etiam oppositionem prædictam eidem communicare ita, ut in sensu composito formæ sanctificantis implicet illi inesse ullum peccatum. Nihilominus Christus fuit liber in suis actionibus, non quidem per indifferentiam inter bonum & malum, sed tantum inter plura bona, ut posset eligere, quod vellet; quæ libertas licet extensivè ratione objecti restrictior: tamen intensivè respectu potentie fuit multò perfectior; quippe posse peccare non est perfectionis, sed potius imperfectionis, sicuti Deus liberissimus non potest peccare, nec est indifferens ad bonum & malum, sed tantum ad bonum hoc vel illud.

XXV. Sed hinc surgit gravissima quæstio, quæ mirè torquet Doctores, quomodo scilicet Christus, si peccare non potuit, habuerit liberum arbitrium? Hæretici nostri nihil circa eam movent, ideòque & nos eandem exactius disputandam Scholasticis relinquimus; duo solum breviter insinuantes, ne perinde ac Sectarij ignavi & ignorantibus appareamus, sed illos instruamus.

XXVI. *Primum.* In Christo fuit Libertas. Ita omnes Catholici DD. habenturque apertè in Scri-

ptura Isaïæ 7. v. 15. *Butyrum & mel comedet, ut fiat reprobare malum, & eligere bonum*; eligere autem est formalis actus libertatis; & hunc fuisse in Christo ab infantia; observant Patres & Interpretes in cit. loc. Isaïæ. Accedit quod Libertas ad utrumque sit magna perfectio Naturæ Rationalis, & sit proprietas communis hominibus, omnique reprehensione carens, & ad merendum omnino necessaria. Ergo in Christo fuerit necesse est, cum perfectam Naturam rationalem, & perfectissimum meritum haberet.

XXVII. *Alterum,* quod est pro concilianda libertate Christi cum præcepto. Præcepta Christo quæ Homini tantum in genere præscripserit, quid agendum; aut quid patiendum foret: in particulari autem non determinaverunt, neque omnes circumstantias extrinsecas loci, temporis, &c. (Saltem quoad indivisibile) neque intrinseca motiva formalia virtutum, ex quibus operaretur, neque certos actus individuos; proinde in horum omnium electione integra Christo manit Libertas. Ita expressè S. Thom. in 3. P. Q. 18. art. 4. ad 3. & plerique Theologi, quos refert & sequitur Arriaga in 3. P. D. 42. Num. 39. Atque hæc sententia etiamnum Romæ docetur, ubi & dum istud scribo. Ratio prioris est. Tum quia Sac. Scriptura nusquam refert ullum præceptum cum omnibus circumstantijs latum; neque nobis licet confingere. Tum quia, ut discurret Ruiz Tom. de Scientia Dei D. 74. S. 5. n. 4. non est prudentis Gubernatoris, omnes circumstantias facti subditò præscribere, neque quidquam ejus arbitrio relinquere. Ergo non est præsumendum, Christo id accidisse.

XXVIII. Ratio posterioris est. Tum quia, licet talis indifferentia non tollat necessitatem operandi in genere circa tale objectum prosequendum vel fugiendum, relinquit tamen indifferentiam in particulari, quæ si non sufficeret libertati, nulla prorsus esset libertas in rerum natura; siquidem omnis voluntas tam divina, quam creata in genere est determinata ad bonum in communi, ut nihil nisi bonum possit appetere, nec quidquam ut bonum odisse; imò nunquam potest ab actuali appetitione in communi cessare, ut tradit idem Author de voluntate Dei D. 4. Q. 3. n. 3. alijque T. T. Tum quia SS. Martyres simpliciter, & sine addito liberè dicuntur pro Christo mortui, quantumvis physicè non fuerit in eorum potestate, mortem penitus evitare, utpote quam aliàs tandem ex necessitate Naturæ subire debuissent; dicuntur, inquam, absolute simpliciter & sine addito liberè mortui, & non tantum secundum quid, id est, quoad aliquas solum circumstantias loci, temporis, &c. Ergo similiter Christus Dominus dici potest simpliciter liberè mortuus, etiamsi non potuerit physicè transgredi præceptum, ac proinde non mori, nec vitare mortem; sed tandem istam pro genere humano subire debuisset.

XXIX. Huic Sententiæ nostræ tria maxime obstare videntur breviter expedienda. *Primum.* Circumstantiæ etiam sunt præceptæ Joan. 14. v. 31. *sicut mandatum mihi dedit Pater.* Joan. 13. v. 1. *Sciens Jesus, quia venit hora ejus.* Respon. cum Tanner de Incarn. D. 1. q. 6. n. 146. & alijs, sensum priorum verborum ex Scriptura esse, nihil fuisse à Patre præceptum, quod Christus non exactissime fasset, ut particula *sicut* non plus denoter, quam

quam præceptum est : posteriorum verò, venisse horam passioni ac morti liberè à Christo destinam, ut patet ex verbis S. Chrysostomi Hom. 84. in Joan. *In potestate morientis erat, ne prius, quam ipse vellet, moreretur.* Similia habent alij Patres.

XXX. *Secundum.* Antiqui Patriarchæ non dicuntur meruisse Incarnationem, sed tantum aliquam illius circumstantiam, etiamsi accelerationem seu ejus anticipationem meriti fuerint. Ergo similiter Christus ex liberâ anticipatione non debet simpliciter dici, liberè mortuus. Respon. negando Consequentiam. Ratio disparitatis peti debet ex diverso loquendi modo in diversis materijs, ut agnoscit Cardinal. Lugo de Incarnat. D. 96. n. 91. Nam revera martyres simpliciter liberè vitam pro Christo dedisse dicuntur, etiamsi ipsi mors quoad substantiam jam aliunde fuerit statuta.

XXXI. *Tertium.* Libertas hæc temporis, loci, motivi, individuationis, & similium circumstantiarum nullius est momenti in rebus moralibus idque in proposito absurdè efficit, ut nullæ Christo debeantur gratiarum actiones, quod simpliciter pro nobis fuerit mortuus, sed tantum, quod tali tempore, loco, & tali motivo. Respon. 1. has circumstantias augere libertatem, & hoc satis esse ad propositum nostrum, cuiuscunque deinde momenti sint. Cæterum nos cum Arriaga potissimum intendimus circumstantiam temporis, & ab hujus notabili anticipatione mortem Christi absolute liberam astruimus, licet cæteras (si modo notabiles sint, & non merè extrinsecæ) non rejiciamus. Respon. 2. negando non deberi Christo laudem & gratias, quod pro nobis sit mortuus; Nam sicuti laudamus Martyres non tantum propter circumstantias suæ mortis, sed etiam specialiter propter mortem ipsam, ita pari jure laudare possumus Christum ob mortem pro nobis obitam; esto eam à Patre impostam non potuerit non acceptare, nec totaliter & pro omni tempore evitare. Ratio desumitur ex eo, quod actus non spectetur secundum aliquas rationes præcisè, sed ut contractus ad has inferiores rationes, & in his circumstantijs positus; Unde humano modo simpliciter liber aestimatur & dicitur, cui loquendi modo etiam Sacra Scriptura se accommodat ad Philip. 2. v. 8. *Isaiæ 53. v. 10.* & alibi mortem Christi absolute liberam appellans.

XXXII. *Sexto.* Omnes reliquæ Potentiæ externorum & internorum sensuum ipsæ quoque passionis (quæ dicuntur actus appetitus sensitivi cum aliqua corporis alteratione conjuncti) in communi de his loquendo, fuerunt quidem in Christo, ut colligitur ex Sac. Scriptura, quæ hujusmodi affectus tribuit Christo: non tamen eodem modo, sicuti sunt in nobis, sed cum triplici hac differentia, ut notat Cardinal. Lugo de Incarn. D. 22. n. 3. 1. ex objecto, quia nunquam ferebantur in illicita. 2. ab effectu, quia rationis usum nunquam perturbabant. 3. à principio, quia nunquam sine præscitu intellectus & voluntatis surgebant; unde Joan. 11. v. 33. dicitur, *se ipsum turbasse.* Quare Christus non habuit etiam fomitem, qui cum sit inclinatio appetitus in id, quod est contra rationem, perpetim nos vexat, & involuntarijs motibus ad malum incitat, nec rationis imperio parat; hinc assidua lucta inter

carnem & Spiritum: in Christo autem fuerunt omnia pacatissima, & omnia optime subordinata. Sustulit autem prædictum fomitem in Christo tum Visio beatifica ita occupans animam, ut imaginatio non posset agere, tum externa protectio ac custodia Dei, vel concursus objectorum rationi adversantium impediens, vel illis etiam præsentibus suum concursum negantis, idque exigente summâ Christi Sanctitate, ut præter alios docet Vafq. in 3. Disp. 61. c. 8.

XXXIII. *Septimo.* Christus statim fuit Sanctus, hoc est, Amabilis à Deo amore amicitiae, imò sanctissimus non solum per gratiam infusam accidentalem seu habitalem, sed etiam per Divinitatem, quæ est infinita & essentialis Sanctitas; siquidem tam ipsa Personalitas Verbi, quam Essentia divina seu Deitas Humanitati Christi fuit unita; illa immediatè: hæc mediatè, & utraque Sanctitatem Humanitati formaliter & physice contulit. Nam Personalitas Verbi etiam ut distincta à Deitate est perfectio divina amore infinito digna, cum sit infinite pulchra, ac proinde reddidit Humanitatem omni amore ac visione beatâ dignam, constituitque consequenter hæredem regni &c. Deitas verò seu Essentia divina prout etiam formaliter distincta à Personalitate verè sanctificat; quia per eam Humanitas inungitur. Danielis 9. v. 24. & Deificatur, ut loquitur Concilium Florent. in decreto unionis. Ista autem unctio vel unguentum juxta SS. Patres nihil est aliud, nisi Sanctitas; Deificatio quoque minus esse non potest, quam sanctificatio, seu amabilitas illa, propter quam Christus, quæ homo, amore amicitiae fuit amatus. Unde Christus deinceps in Sanctitate nec quidquam augmenti accepit, ut innuit Scriptura aiens. Luc. 1. v. 35. *Quod nascetur ex te Sanctum,* hoc est, sanctissimum, *vocabitur Filius DEI.* Ratio esse potest. Tum quia status beatitudinis, quem Christus jam tunc in anima obtinebat, varietatem gratiæ exclusit. Tum quia omnis gratia habitualis est connaturalis proprietatis statim ab initio debita unioni Hypostaticæ seu potius Personalitati unitæ.

XXXIV. *Octavo.* Omnes Actiones Christi, quas liberè exercuit, fuerunt supernaturales, & meritoriae. Ratio est. Tum quia semper ex supernaturali motivo amoris profectæ sunt. Tum quia Christus plenus fuit gratiâ & Sanctitate: nec ad meritum requiritur aliud, quam restitudo & libertas actionis, & Sanctitas personæ, quæ sit adhuc in statu viatoris, sicuti Christus in hac vita fuit, tamen si fuerit simul etiam Comprehenfor.

XXXV. *Nono.* Christus fuit valde potens in Sermone & opere, & efficax in dicendo, ut dicitur Luc. 24. v. 19. de JESU Nazarenò, *qui fuit vir Propheta potens in opere & sermone.* Matth. 7. v. 19. *erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & pharisæi.* & Joan. 7. v. 46. *nunquam homo sic locutus est, sicut hic homo;* nempe habuit vim commovendi animos hominum non solum exteriori verborum sono aures pulsando, sed etiam interiori per actualis gratiæ infusionem & inspirationem, illuminando intellectum & flectendo voluntatem. Ejectio illa vendentium in templo, de qua Joan. 2. v. 14. & Matthæi 21. v. 11. quantæ potentiæ erat opus? de quo Hieron. apud Maldonatum in citatum locum scribit: *Pleriq; arbitrantur, maximum esse signum, quod Laza-*

rus resuscitatus sit: quod cæcus ex uero lumen accepit: quod ad Jordanem vox audita fuerit Patris: quod transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis: mihi inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilis esse, quod homo unus, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis & Phariseis contra se sevientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam eicere multitudinem, mensasque subvertere & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Ignem enim quiddam & sidereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis Majestas lucebat in facie.

XXXVI. Ex quibus omnibus patet, quanto Christus nobis præstantior, & quanto honore & reverentiâ dignus sit etiam quâ Homo. Si omnium Sanctorum virtutes & merita in unam massam colligerentur, non æquarent ejus Sanctitatem juxta trutinam divinæ Justitiæ, quæ reddidit unicuique juxta opera ejus. Math. 16. v. 27. Unde Theologi unanimiter docent, merita Christi fuisse simpliciter infiniti valoris, id quod indicat etiam Clemens VI. Papa Extrav. unigenitus, de penitentia & remissionibus. Ubi asserit, thesaurum, quem Ecclesia habet ex Meritis & satisfactionibus Christi, non posse exhauriri, vel minui; quia merita illius sunt infinita, adeo ut propter unionem ad Verbum una gutta Sanguinis sufficere pro redemptione totius generis humani. Ita Catholici sentiunt honorificè simul & verè de Christo: & tamen hæretici calumniari audent, nos Christum parvi facere, & ejus gloriam diminuere &c.

#### PARS POSTERIOR

#### ERRORES HÆRETICORUM.

XXXVII. Error Primus est Cherinthianorum & Ebionæorum, Beatissimam Virginem Mariam nec in Conceptione Virginem fuisse: Joviniani apud D. Augustin. de hæresibus cap. 8. eandem pariendo fuisse corruptam: Helvidij, illam post partum Josepho consuevisse. Consentunt ex Calvinistis Petrus Martyr in cap. 4. ad Rom. & Beza lib. de omni-præsentia Carnis, rati B. Virginem in partu Virginitatem amisisse, quod etiam indicat Erasmus in Annot. ad illud Luc. 2. v. 23. *Omne masculinum adaperiens vulvæ sanctum Domino vocabitur.* Nituntur his argumentis ex Script. petitis. 1. Math. 1. v. 18. *Antequam conceirent, inventa est in utero habens.* 2. ibidem v. 25. *& non cognoscebat illam, donec peperit filium suum primogenitum.* 3. Luc. 2. v. 4. *Joseph vocatur Pater Christi.* 4. Joan. 2. v. 4. *B. Virgo Maria vocatur mulier.* ibidem v. 12. *fit mentio fratrum Christi.*

XXXVIII. Error iste refutatur ex perpetua Fide & Traditione Ecclesiæ, quæ semper veluti hæreticos detestata est omnes, qui Beatissimæ Virginis Mariæ perpetuam & illæsam Virginitatem negarunt; quasi verò Virgo Castissima sui voti oblita fuerit, de quo apud Michaëlem Archangelum Lucæ 1. v. 34. protestatur, *virum non cognosco, id est, nullum carnale commercium cum viris habeo non solum in præsentem, sed etiam in futuro; loquebatur enim de conceptu futuro Filij DEI;*

cumque intellexisset, Virginitatem Deo adeo charam esse, ut ejus conservandæ gratiâ inauditum miraculum patrârit, quis credat, illam tam vilipendisse virginitatem, ut mox eam pessum dederit? De proposito & voto virginitatis videri potest Tanner Tomo 3. D. 2. q. 1. dub. 5. Reijcit idem error non tantum, ut injuriosus Beatissimæ virginis, sed etiam honori Christi in Nativitate sua parum conformis. Videri potest Valentia in cit. Tomo Controversiarum à fol. 401. Fundamenta Adversariorum futilia sunt ac nullius momenti.

XXXIX. Respon. ad 1. Math. 1. adverbium *antequam* significare, nonnunquam ea tantum, quæ secutura cogitabantur, licet secuta non sint, ut si de aliquo dicitur, mortuus est, antequam penitentiam faceret. Ad 2. Lucæ 2. voculam *domec* denotare solum, quid antea factum non sit, etiam si nec postea acciderit; sicut etiam primogenitus dicitur, ante quem non fuit alius; esto etiam nullus sit secutus. Ad 3. ibidem Josephum vocari Patrem, non verum & naturalem, sed nutritium & putativum. Ad 4. Joan. 2. B. Virginem dici mulierem sumpto hoc vocabulo per consuetam phrasin hebraicam pro qualibet fœminâ. Ad 5. ibidem fratres Christi vocari cognatos; idem secundum phrasin Scripturæ etiam in Scholis passim receptam.

XI. Rectè addit Tanner loc. cit. dub. 4. perpetuam Virginitatem Mariæ, quantumvis ex ipsa Scriptura per se non satis probetur, merito tamen inter Traditiones Ecclesiasticas recenseri, sicut etiam in Colloquio Ratisbonensi Sess. 10. contra Lutheranos Ministros Catholici Doctores defenderunt.

XLI. Non obstat, Tertullianum lib. de Carne Christi in fine scribere: *Virginem patet facti corporis lege peperisse, & eam fuisse virginem, quantum à Viro, non quantum à partu.* Item testimonia aliorum PP. quibus indicatur, corpus B. Virginis in partu fuisse referatum. Respon. Tertullianum non curandum, cum in alijs quibusdam rebus aberrarit, ut bene notat Lirinensis Lib. adversus hæresum novitates: alios Patres alibi sufficienter se explicare, quod non de verâ & formali corporis apertione loqui voluerint, sed solummodo quasi quoad effectum, ut idem sit, quod pervium habere uterum, & per illum sine impedimento transire. Ita enim Hierony. ait, contra Helvidium: *Solus Christus clausas portas vulvæ Virginis aperuit;* quæ tamen clausæ jugiter permanferunt. Et Gregor. Nissen. Hom. de occurso Domini apud Surium in Festo Purificationis ait: *Solum ipse ineffabiliter conceptus non prius Virginali vulvâ aperuit, signacula virginitatis illæsa conservans etiam post processum admirabilem.* eodem modo loquuntur alij ac nominatim Damasc. lib. 4. Fidei c. 25. *Quemadmodum, inquit, qui conceptus est, Virginem concipientem servavit illæsam, sic & natus ipsius virginitatem servavit illæsam. Solus transivit per eam, clausam servavit. Manet igitur, & post partum Virgo, & semper Virgo.* Ubi apparet alludere SS. PP. ad illud Ezechiel 44. v. 2. de porta orientali clausa, & tamen pervia.

XLII. Error secundus (si non contra veritatem fidei, saltem contra communem Catholicorum sensum) est, Christum fuisse abjectâ & despiciabili formâ. Ita nonnulli apud Valentiam Tom. 4. D. 1. q. 14. p. 2. Inducti ex uno alterove Sacra Scriptu-

ræ textu, nempe Isaïæ 53. v. 2. *Vidimus eum, quasi despectum & novissimum virorum.* Psal. 21. v. 7. *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Verùm hinc aliud non evincitur, quàm in passione & cruciatibus Christum habuisse formam minimè pulchram: ante istam autem fuisse speciosum, non obscurè conici ex illis verbis Psal. 44. v. 3. *speciosus formâ præ filiis hominum.* Et Cantic. 5. v. 10. *dilectus meus candidus & rubicundus.* Interim non diffiteor, istiusmodi loca etiam aliter exponi posse. Nam illud psalm. 44. intelligunt de divinitate Basilii, & Cyrillus: item de ornamentis animæ Hierony. & Theodoret. Et descriptio illa Iponfæ similiter potest figuratè intelligi de spiritalibus Christi virtutibus. Nihilominus etiam rectè scholastici prædicta Scripturæ loca accommodant ad formam corporis, cum absolute absurdò ad litteram sic intelligi possint. Nolui tamen inde errorem hunc absolute dicere esse contra fidem.

XLIII. Respon. ad 1. textum. Isaiam loqui de forma Christi, quam habuit in cruciatibus. Ad 2. in Canticis dici Christum secundum humanitatem Candidum innocentia: Rubicundum verò sanguine, quem in passione effudit. Patres, qui formæ decus Christo etiam negarunt, intelligi debent vel de deformitate, quam habuit Christus in ipsa passione, ut Clemens Alexandr. & Athanas. vel de ignobilitate ipsius humanæ naturæ comparatæ cum Divinitate, &c. Quo pacto videntur locuti Tertul. Cyrillus, Basilii, &c. Videatur Cornelius à Lapide in caput 5. Cantic. v. 10. cit.

XLIV. Error tertius est. 1. Anima Christi non ita repleta fuit omni scientiâ ab ipsa sui creatione, ut non potuerit in scientia proficere. Ita Lutherus, in Concone de Natali Domini, ubi ait, *Christum non concubet tempore intellexisse omnia.* Et Calvinus in cap. 24. Matth. sic scribens: *ter & quater insanus foret, qui se gravatim ignorantia submitteret, quæm ne ipse quidem filius Dei nostrâ causâ subire abnuir.* Lutherum sequuntur omnes Lutherani apud Gerhardum 1. 2. part. 1. à fol. 306. Calvinum verò omnes ipsius Alectæ apud Amesium Tom. 1. à fol. 77. Præiverunt hos Zvinglius in confessione ad Carolum V. A. 1. affirmans, *Christi sapientiam paulatim crevisse.* Et multò ante Agnoitæ, quorum meminit D. Gregorius L. 8. Epist. 42. Nituntur triplici maxime S. Scripturæ loco. Primus habetur ad Hebr. 2. v. 17. *debut per omnia fratribus similis fieri.* Et c. 4. v. 14. *non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absq. peccato.* Secundus habetur Luc. 2. v. 40. *crefcebat & confortabatur Spiritu plenus scientiâ, & gratia Dei erat in illo.* Et v. 52. *Et Iesus proficiebat ætate, sapientiâ & gratiâ apud Deum & homines.* Tertius habetur Marc. 13. v. 32. *de die autem illo vel hora nemo scit, neq. Angeli in Cælo, neq. filius, nisi Pater.* Addi potest illud Luc. 22. v. 43. *apparuit autem illi Angelus de Cælo confortans eum; qui proinde videtur illi aliqua ad consolationem exposuisse.*

XLV. Error iste non minùs S. Scripturæ ac Patribus, quàm rationi contrarius honorem Christi valde imminuit, dum ignorantiam illi impingit, Joan. 1. verbum caro factum dicitur v. 15. *plenum gratiæ & veritatis.* Quomodo ergo defectum notiæ competentis unquam habuit? Ubi enim est plenitudo scientiæ, ibi non est locus errori & defectui notiæ. S. August. L. 15. de Trinit. c. 26.

*absurdissimum est, inquit, dicere, Christum anno trigesimo accepisse Spiritum Sanctum; cum ejus præcursor accepit in utero Matris sue.* Et rectè, quippe absurdum est, animam Sapientiæ fuisse quodammodo insipientem, & cum impletio Spiritus atque unctio cum omni cœlestium donorum copia (quam S. Script. Isaïæ 11. v. 2. Psal. 4. v. 8. & alibi frequenter de Christo affirmat) facta fuerit in primo conceptionis instanti, quomodo Christus ab illo puncto proficere in scientiâ, & aliquam ignorantiam habere potuit? Certè Damasc. L. 3. c. 22. scribit, *eos non credere incarnationem, qui credunt illam animam paulatim profecisse.*

XLVI. Ait Amesius Fol. 70. sicut Natura divina in ipso comprimebat aliquo modo, & occultavit suam Majestatem in humilitate Christi, ne exereret suam dignitatem, quæ postea apparuit in exaltatione, sic etiâ cohibebatur Spiritus ille sapientiæ, ne statim in perfectione, sed paulatim pro ratione statûs Christi exereretur. Verùm grandis inter utrumque est disparitas. Nam occultatio illa tantum serviebat ad apparentiam externam: & quantum ad mysterium Redemptionis per corpus visibile & passibile peragendum erat utilis; quid autem utilitatis conferebat ignorantia, & interior omnibus ignotus scientiæ defectus? nihil profus. Vnde occasionem sumperunt Patres & Doctores indubitatè affirmandi, Christo concedendam esse omnem perfectionem, quæ ipsius statui, aut decretis Dei non repugnat, ut supra jam insinuavimus. Atqui plenissima scientia à primo statim conceptionis instanti minimè repugnat vel statui Christi, vel divinis decretis. Ergo hæc ipsi concedenda est. Confirmatur ratione, quam priori parte adduximus, scilicet quod Christus ab Incarnationis primo instanti fuerit Filius Dei Naturalis, & hæres omnium honorum patrum absquæ expectatione paternæ mortis succedens: item quod constitutus fuerit caput Angelorum & Hominum, utique non minus ornatum minusquæ sapiens, ac sint membra. Ergo Christus à primo conceptionis instanti ita plenus fuit scientiâ, ut juxta præsens decretum crescere non potuerit. Argumenta in oppositum debiliora sunt, quàm ut Christo plenissimam scientiam eripere, & de sapiente ignorantem facere possint.

XLVII. Respon. Ad 1. ex communi interpretum S. Scripturæ, & D. D. sententia, cum excipitur peccatum, intelligi quoque exceptos simul omnes defectus, morbos, ignorantiam, &c. Qui non erant utiles Redemptioni: Item cum dicitur, Christus per omnia assimilari, nomine omnium intelligi, quæ ad perfectionem Naturæ pertinent, vel ad Redemptionem conducunt, alioquin non potuisset nobis constare, Christum verum esse Hominem, ac nobis similem.

XLVIII. Ad 2. Jesum profecisse scientiâ quoad usum; quia quò grandior fiebat, eò perfectiora opera edebat. Item quia successu temporis cognitionem quandam experimentalem proprijs actibus sibi comparabat. Itaque Origines, Hierony. Nazian. Theophilaçt. Damascen. & communis sententia P. P. ac D. D. apud Tiriñ. in locum cit. Urgent Sæctarij, Christum eo modo profecisse scientiâ, quo modo staturâ, paulatim scilicet. Sed hæc est voluntaria ipsorum interpretatio, & ab allatis P. P. & omnibus Catholicis D. D. rejecta. Sicuti ergo Sol, quo magis ascendit versus medium cœlum, tantò magis dicitur proficere in lumine & calore,

calore, non quod in se fiat lucidior & calidior, sed quia magis magisque apparet ejus virtus, ita sapientia & scientia Christi cum ætate & statura crevit, hoc est, magis magisque emicuit & se prodidit.

XLIX. Cæterum quando ex Script. Joan. 10. v. 16. & Ephes. 4. v. 7. &c. dicimus, Christum plenum sapientiâ & scientiâ, imò redundantem ac sine mensura, non volumus insinuare, scientiam animæ Christi communicatam fuisse infinitam, sed solum id asserimus, quod Adversarij negant, scilicet Christum proficere non potuisse in scientia eò, quod acceperit eam plenè abundanter & sine mensura: alij autem de plenitudine ejus accipiant cum mensura.

L. Ad 3. Particulam nisi excludere solum alias personas in divinis, quando & ubi occurrit oppositio, uti fit in Relationibus & Subsistentijs Relatiivis, atque Actibus Notionalibus: Scientia autem est quid absolutum, & essentialè, ac proinde omnibus Personis commune. Quod ergo Filius dicatur hic ignorare diem ac horam extremi Judicij, exponendum est de Filio, ut est homo, seu secundum humanam Naturam ejus; non quod verè ac profus ignoret horam & diem illam etiam sic spectatus, sed quod ignoret tanquam legatus à Patre ad nos missus; scilicet eo modo ac lege, ut eandem revelare hominibus possit; quemadmodum Legatus conscius decretorum Regis sui, si sciat, nolle Regem aliquid propalatum, rogatus, ut aperiret id, potest reponere, se illud nescire; simili modo Joan. 15. v. 15. dicit Christus: *omnia quecumq; audivi à Patre meo, nota feci vobis*; nempe omnia, quæ ut Legatus à Patre audivi, ac vobis communicanda accepi. Vide Maldonatum in Matth. 24. v. 36. Ubi ait, aliquando hunc locum Patribus accidisse difficilem contra Arianos disputantibus, & post varias interpretationes tandem asserit, Christum solum innuere, quod officium suum non sit scire; quia scilicet ut Legatus ad nos non audivit illud à Patre nobis revelandum.

LI. Ad id, quod ultimò fuit objectum; Confortationem hanc, etiam si per eam Christus verè fuisset confortatus, ut nonnulli P. P. insinuant, fieri potuisse nudâ repræsentatione & propositione quarundam rationum, quibus leniri Christi dolor valebat; licet interim Christus nihil ab Angelo incognitum disceret, ut sentit S. Thom. 3. p. q. 12. art. 4. ad 1. Sed vero similis videtur, Christum ab Angelo reipsâ non fuisse confortatum, ut conjicitur ex verbis sequentibus Luc. 22. v. 43. & *factus in agonia prolixius orabat*: Nihilominus Christus dicitur ab Angelo confortatus, sive quia Angelus in modum confortantis seu consolantis apparuit, Christo interim nullum inde robur aut solatium percipiente: sive potius quia confortare in proposito nihil est aliud, quàm fortitudinem ac potentiam Christo confutendo ac laudando tribuere, ut ex Chrysostomo sermone de Trinit. Epiph. hæresi 61. notavit Vasq. in 3. p. d. 56. n. 9. Sic etiam B. Virgo Lucæ 1. v. 46. ad initium cantici sui ait: *magnificat anima mea Dominum*, non propriè scilicet faciendo magnum, sed æstimando magnum.

LII. Error quartus est, Christum in Passione sua sustinuisse aliquod genus doloris homini proprium, puta desperationem doloris inferni, & damnatorum. Ita Calvinus L. 2. Instit. c. 6. §. 1. Ubi ait: *divos in anima cruciatus damnati & perditii hominis pertulit*, Et addit: *nihil actum erat, si corporeâ*

*tantum morte defunctus fuisset Christus, sed opera simul precium erat, ut divina ultionis severitatem sentiret*: Et l. 3. Instit. c. ult. docet, *nihil aliud esse penas damnatorum, quàm terrorem & anxietatem conscientie, cogitantis, Deum sibi esse iratum & infestum*; & has penas Christum sustinuisse. Et in c. 27. Matth. dicit, *Christo elapsam esse desperationis vocem*. Et infra, *cum desperatione, inquit, luctatus est, non tamen victus*. Similia habent Lutherus in Psal. 22. Melanchthon in locis communibus capitulo de Filio. Brenzcius in 2. Actorum. Moventur aliquot Sacræ Scripturæ locis præ intellectu 1. Isaiæ 53. v. 4. Ubi dicitur Christus à Deo permixtus. 2. Matth. 27. Ubi Christus v. 46. exclamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti*! 3. Actor. 2. Ubi v. 25. de eo dicitur: *quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*. 4. Psal. 17. v. 6. *Dolores Inferni circumdederunt me*.

LIII. Error hic, & omnia ex hæreticis allata planè impia sunt, monstrosa, & blasphema, quibus vel solis Calvinus desperationis & terribilis in mortis articulo indurationis penam justo Dei judicio promeritus est, de quâ Hieron. Bolsenus Medicus Lugdunensis in vita Calvini c. 22. demonibus, inquit, invocatis jurans, execrans, & blasphemans miserè expiravit, cujus illi testimonium perhibuere, qui decumbenti ad extremum usque halitum ministrarunt, imò hoc etiam, quod diem ac horam fuerit execratus, quam unquam studijs ac descriptionibus impendisset. Non mitius Dei judicium nec feliciorè exitum habuisse putandi sunt Lutherus, & alij. Refelluntur autem illorum frivola fundamenta. Tum ex dictis de summa innocentia & sanctitate ac perpetuâ Animæ beatitudine, quâ Christus fructus est. Tum ex valore infinito passionis ac mortis aliorumque meritum Christi ad redimendum totum genus humanum, Tum ex toto contextu Sac. Scripturæ, ubi redemptio nostra nunquam attribuitur hujusmodi impij ac damnati hominis doloribus à Christo exantlatis, sed solummodò sanctissimæ ejus morti, & sanguini, ut singulariter patet ex Apocalypsi 5. v. 9. Ubi Sancti clamant: *dignus es Domine accipere librum & solvere signacula ejus, quoniam occisus es & redemisti nos Deo in sanguine tuo*.

LIV. Respondetur in specie ad 1. Isaiæ 53. Christum dici percussum à Deo, non quod illum oderit, sed quod illum pro nobis suâ permissione tradiderit occidendum, juxta illud ad Rom. 8. v. 32. *qui proprio Filio non pepercit, sed tradidit pro nobis omnibus*. Ad 2. Derelictum fuisse à Patre Christum, quia Deus Humanitatem ejus, cum facile eripere posset, summis penis & doloribus permisit afficiendam, ut sacrificium perficeretur, quo mundus redimendus erat, & conveniens erat; eam vocem à nobis auditam fuisse, ut intelligeremus, Christum verè gravissimos pro nobis dolores pertulisse. Ad 3. Solutis inferni doloribus idem esse, ac irritis inferni doloribus, non quibus teneretur Christus, sed ne teneretur; *quomodo*, inquit, August. Epist. ad Ephodiam *solvi possunt laquei venarum, ne teneant, non quia tenuerunt*. Ad 4. per dolores inferni, sive ad personam Davidis, sive Christi ea verba referantur, non posse intelligi nisi dolores mortiferos, & ex se ad infernum, hoc est, locum infernum mortuis deputatum, scilicet sepulchrum trahentes, in quem modum etiam prior locus explicari potest.

LV. Ex Catholica igitur veritate tenendum, Christum in Cruce nec passione sua universa desperasse, nec ad infernum descendisse ad luendam desperationis culpam. Nam verba illa *ut quid me dereliquisti, &c.* non continent desperationem, sed tantum admirationem divinæ permissionis, quod innocentissimo Filio tanta tormenta inferri permiserit, quam admirationem tollens statim subiungit: *longè à salute mea verba delictorum meorum q. d. non est mirum, Pater mi, quod me derelinquas in his doloribus, quia delicta totius mundi in me suscepi, ut postea Petrus Epist. 1. c. 2. v. 24. dixit, peccata nostra ipse portavit in corpore supra lignum; unde mox eximius actus spei eod. Plal. sequitur v. 20. Domine ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defensionem meam respice &c.* seque exauditum gloriatur v. 55. *non averti faciem suam à me, & cum clamarem, exaudivit me &c.* Cur autem descenderit in infernum, limbum scilicet, patebit ex Controvers. sequenti. Quod si ad luendam desperationis penam Christus descendisset in infernum locum damnatorum, non tantum triduo, sed æternum ibi manere debuisset, cum desperation sit peccatum mortale æternæ morte dignum; neque per ignorantiam, vel indeliberationem excusari potuisset à mortali, cum omnes suos actus in potestate haberit. Quare Christus his hæreticis merito obijcere potest, quod olim Phariseis Joan. 8. v. 46. *quis ex vobis arguet me de peccato?* Ajunt, Christum peccasse, ut nos redimeret. Insignis planè redemptio; quid ineptius excogitari possit? Profectò vel hinc apparet, ex quo Spiritu nati sint Lutheranismus & Calvinismus; planè non ex vero, pio, ac Sancto Spiritu.

CONTROVERSIA XII.

UTRUM ANIMA CHRISTI  
revera descendit ad Inferos?

Nos Catholici quatuor loca inferna communiter statuiamus 1. Carcerem damnatorum. 2. Purgatorium. 3. Limbum Patrum. 4. Locum puerorum cum peccato originali decedentium. Hæretici moderni unicum infernum agnoscunt, asseruntque, descensum istum localem Christi ad inferos otiosum esse figmentum.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Christus secundum Animam, & quidem secundum Substantiam hujus revera descendit ad Infernum, intelligendo hoc nomine certum aliquem locum subterraneum. Ita omnes Catholici ex definitione Concilij Lateran. capitul. firmiter, de summa Trinitate, de Fide Catholica. Item ex Symbolo S. Athanasii, & Apostolorum, quantumvis olim hic Articulus non apud omnes Ecclesias in eodem Symbolo Apostolorum haberetur, ut notavit Bel-

larm. lib. 4. de Christo cap. 6. Probatur 1. ex S. Script. Math. 12. v. 40. *sicut Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus fuit: sic erit Filius DEI in corde (medio) terra tribus diebus & tribus noctibus.* ad Ephes. 4. v. 9. *quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit, primum in inferiores partes terre.* Et præcipue Plal. 15. v. 8. & Actor. 2. v. 27. *quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem &c.* Probatur 2. ex Patribus, quos fuse adducit Bellarminus Lib. 4. cap. 14. Sufficiant nobis unus & alter S. Ignatius M. in Epist. ad Trallianos: *verè, inquit, non hominum opinione crucifixus & mortuus est, videntibus caelestibus, terrenis, & 95. qui sub terra detinebantur.* Item descendit ad infernum solus, regressus autem est cum multitudine. Epiphani. in hæresi 69. contra Ariomitas sic scribit: *Volebat Deitas omnia perficere, quæ ad passionis mysterium pertinent, & cum anima descendere ad inferna ad operandum salutem eorum, qui illic prædormierunt, sanctorum, inquam, Patriarcharum.* Probatur 3. varijs Congruentijs apud S. Thom. 3. P. 52. art. 1. placet præ alijs ista conformis Scripturæ & PP. Sicuti Christus potestatem suam ostendit in terra vivendo & moriendo, ita conveniebat, ut ostenderet in inferno, ipsum visitando & illuminando, ut sic in nomine JESU omne genus flectatur non solum Cælestium & Terrestrialium, sed etiam Infernorum ad Philip. 2. v. 10. Descendit autem Anima Christi ad Inferos, ait S. Doctor loco cit. ad 3. non eo genere motus, quo corpora, sed quo Angeli moventur.

II. *Doctrina secunda.* Christus descendit ad Limbum, qui aliàs vocatur sinus Abrahamæ, ut animas Justorum ibi ante Christi ascensum detentas ex hoc loco educeret. Ita omnes Catholici, & definitur in Concilio Tolet. 4. can. 1. his verbis: *descendit ad inferos, ut Sanctos, qui ibi tenebantur, erueret, & devicto mortis imperio resurrexit.* Prima pars Probatur 1. ex Sac. Scriptura. Eccles. 24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terra, inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Plal. 106. v. 6. *Contrivit portas areas, & vinctos ferreos confregit.* Zacharie 9. v. 11. *In Sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua.* Rom. 10. v. 7. *quis descendet in abyssum?* Ephes. 4. v. 9. *descendit in inferiores partes terre.* 1. Petri 3. v. 19. *His, qui in carcere erant Spiritibus veniens predicavit.* Ibid. cap. 4. v. 6. *Evangelizavit mortuis.* & ex cæteris locis priore doctrinâ allegatis. Hæc autem testimonia Sac. Scripturæ potissimum de limbo & Patribus in hoc reclusis, ac descensu in eum Sapientiæ Incarnatæ seu Christi animæ loquuntur, ut eadem intelligunt SS. Patres & Doctores, idque jure merito; quippe in hoc limbo Christus antiquos Patres dormientes, & in eo Sperantes illuminavit: in hoc contrivit portas areas, & vinctos ferreos confregit, ut nullos amplius retinere valeant captivos: ex hoc vinctos in Sanguine testamenti sui velut ex lacu, in quo non est aqua, emisit: in hunc denique limbum Christi anima veniens Spiritibus prædicavit atque evangelizavit; quæ omnia revera nec sepulchro, nec purgatorio, nec inferno damnatorum ergastulo conveniunt.

III. Probatur 2. ex Patribus. Tertullianus Lib. de Anim. c. 55. *Nec ante, inquit, ascendit in sublimiora caelorum, quam descendit in inferiora terrarum, ut ibi Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret; habes & regionem inferorum subterraneam credere.*

dere. In Symbolo D. Athanasij, quod tota Ecclesia: item Lutherani & Reformati receperunt, legimus: *descendit ad inferos*; quæ verba ipse Athanasius sic explicat: *Credite, animam interiorem hominem esse; quoniam id à prima plasmatione ostenditur, & à secunda dissolutione demonstratur; cum non solum à nobis, sed & in Christi morte id pateat, corpore non ultra sepulchrum delato, animâ ad inferos penetrante, locis ingenti intervallo discriminatis, sepulchro quidem id, quod corporeum erat, quia ibi corpus erat, recipiente, inferno verò id, quod incorporeum fuit.* S. Ambrosius Lib. de Dominicâ Incarn. Sacramento cap. 5. non, inquit, *abyssus, sed Patri dixit, in manus tuas commendo spiritum meum. Ipsa anima, etsi fuit in abyssus, jam non est, quia scriptum est, quoniam non relinques animam meam in inferno.* D. Basilii in Psalm. 48. super ista verba: *verumptamen Deus redimet animam meam de manu inferi; cum acceperit me, sic scribit: Palam vaticinatur; Christi ad infernum descensionem, qui unâ cum alijs propheta ipsius animam sibi liberaturus, ut ibi nequaquam permaneat.* S. Hieron. in cap. 4. ad Ephes. hæc habet: *Inferiora terra, infernus accipitur, ad quem Dominus noster salvatorque descendit, ut sanctas animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad calos victor abduceret.* In eundem modum loquuntur alij Patres, adeò clarè & apertè, ut Hundius apud DD. à Wallenburch Tom. 2. fol. 63. opinionem D. Athanasij vocet peculiarem, de alijs Patribus alij hæretici non mitius ac sanius sentiunt.

IV. Non obstat, quod per sinum Abrahamæ, qui ab omnibus locus felicitatis putatur, videatur non posse infernum significari. Nam, ut bene declarat S. Thom. in 3. P. q. 52. art. 2. ad 1. Sinus Abrahamæ potest dupliciter considerari, ut quies, quæ ibi erat à pænâ sensibili. 2. ut privatio gloriæ sperandæ; quoad prius ei non competit nomen Inferni: at bene quoad posterius. Quare juxta primam acceptionem nunc quidem ipsamet requies beatorum dicitur sinus Abrahamæ, non tamen dicitur Infernus, cum nihil jam triste in sinu Abrahamæ inveniatur.

V. Altera pars. Animas scilicet Justorum Veteris Testamenti ante Christi passionem non fuisse in Cælo, sed in Limbo detentas expectasse Messias adventum, est communis omnium Catholicorum, & oppositum, inquit Bellarm. lib. 4. de Christo cap. 11. est inauditum in Ecclesia. Habetur in Epist. S. Pauli ad Hebræos 6. v. 19. *Propositam spem, quam sicut Anchoram habemus animæ tutam ac firmam & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, &c.* Si autem Christus præcursor in Cælum introivit. Ergo nulli ante ipsum. Item in eadem Epist. cap. 9. v. 8. *Hoc significante spiritu sancto, nondum propalatum esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum &c.* Si autem Patriarchæ in Cælum ingressi essent, utique via in cælum jam manifestata fuisset. Rursus c. 10. v. 19. *Habentes fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est, carnem suam, ubi Chrysost. Hom. 18. Ideo inquit, novam dicit, siquidem nunc aperta sunt porta cali, quod neque tempore Abrahamæ contigit.* Demum cap. 11. v. 13. *juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis promissionibus, sed à longè eas aspicientes; & v. 39. hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Sensus est ex communi DD.

quamvis omnes PP. ac Sancti Vet. Testamenti fidem servaverint, & strenuè laboraverint, non tamen hæreditatem cælestem illis promissam ante Sanctos Novi Testamenti acceperunt in limbo expectantes, donec & illis ac nobis cælum hætenus clausum à Christo aperiretur.

VI. Præclare in rem præsentem scribunt Chrysostomus Hom. 4. in Marc. *In Lege Abraham apud inferos: in Evangelio latro in Paradiso; non detrahimus Abrahamæ &c.* Sed Christum præferimus Abrahamæ, Evangelium legi. Hieron. in Comment. ad cap. 9. Ecclesiast. circa illa verba: *omnia, quæ invenit manus tua, ut facias in virtute tua, fac; sic scribit: nota, ut Samuelem quoque verè in inferno credas fuisse, & ante adventum Christi, quamvis sanctos, omnes inferni lege detentos &c.* Plura Sac. Scripturæ & PP. testimonia videri possunt apud Bellarm. c. 11. cit. Vetvveis, & alios. Solum adjicio illud Petri 1. 3. v. 19. *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens predicavit: ut increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur Arca, in qua paucæ, id est, octo anima salvæ factæ sunt per aquam.* Quamvis enim locus iste obscurus sit, communis tamen & verior interpretatio est PP. ac DD. Petrum loqui, ut diximus, de animabus Patrum in limbo, eorum scilicet, qui, cum Noë arcam fabricaret, ejus prædicationi & comminationi de diluvio credere noluerunt, donec pænâ diluvij re ipsâ experti pænitentia de peccatis præteritis habitâ in eodem diluvio submersi perierunt, atque ita, licet aquis præuffocarentur, salvati tamen sunt, & ad limbum cum reliquis justis relegati per Christum jam à morte eò descendente cum omnibus alijs justis inde educi fuerunt.

VII. Cæterum quamvis Christus ad descensum suum animabus in limbo statim contulerit essentialem beatitudinem, adeoque perfectam visionem ac fruitionem juxta illud Luc. 23. v. 43. *hodie mecum eris in Paradiso*, tamen iidem Sancti ante Christum eodem non intrarunt; ille enim Cælum ingrediens aditum ad illud patefecit juxta id Psalm. 67. v. 19. & ad Ephes. 4. v. 8. *Ascendens in altum captivavit, duxit captivitatem; neque enim decuit, ut membra prius ascenderent in Cælum, quam ipsorum caput, quod est Christus, ut jam diximus.*

VIII. *Doctrina tertia.* Anima Christi mansit in limbo Patrum toto illo triduo usque ad Christi Resurrectionem. Ita communis Catholicorum. Probat ex Sac. Scriptura ad Rom. cap. 10. v. 6. *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in Cælum; hoc est, deducere Christum: aut quis descendet in abyssum, hoc est, Christum à mortuis revocare; ubi per abyssum intelligitur profundissimus terræ locus; intra tamen istam contentus, adeoque infernus seu limbus tanquam terminus à Quo ipsius Resurrectionis. Idem indicatur Act. 2. v. 27. Quæ verba explicans D. Augustinus Epist. 99. ad Evodium sic scribit: *Et Dominum quidem carnè mortificatum venisse ad infernum, satis constat. Neque enim contradictio potest vel Prophecia, quæ dixit: quoniam non relinques animam meam in inferno; quod ne aliter quisquam sapere audeat in Actibus Apostolorum idem Petrus exponit, vel ejusdem Petri verbis, quibus eum asserit solvisse inferni dolores, in quibus impossibile erat, eum teneri. Quis ergo nisi infidelis negaverit, apud inferos fuisse Christum.**

IX. Tribus autem diebus Christum in limbo fuisse commoratum, ipsemet indicat hæc citatis.

his verbis Matth. 12. v. 40. Sicut Jonas in ventre  
cæ tribus diebus, & tribus noctibus fuit, sic erit Filius ho-  
minis in corde terra tribus diebus & tribus noctibus;  
nempe civilibus, qui ex die naturali & nocte  
constantur: item non integris, sed solum primi  
diei ultimâ parte, & tertij primâ cum toto se-  
cundo intermedio. Consentunt SS. PP. Ter-  
tullian. Augustin; Petrus; Chrysolog. & alij, è  
quibus Irenæus Lib. 5. adversus hæreses c. 31. sic  
scribit in cit. locum: *Nunc autem tribus diebus conver-*  
*satus est (Christus) ubi erant mortui, quemadmodum*  
*propheta ait de eo, commemoratus est Dominus Sancto-*  
*rum mortuorum suorum; eorum qui ante dormierunt in*  
*terran stipulationis, & descendit ad eos, extrahere eos*  
*& salvare eos. Ratio est. Quia locus ille erat per*  
*seconfentaneus statui animæ separatæ ipsius Chri-*  
*sti; ubi enim aliâ interim corpore in sepulchro*  
*posito convenientius fuisset? Non obstat illud Lu-*  
*cæ 23. v. 43. hodie mecum eris in Paradiso. Nam eo*  
*loco Paradisus non sumitur pro Paradiso terre-*  
*stri, sed generatim pro loco gloriæ & beatitudi-*  
*nis, sive pro regno Christi; quod Latro ipse ex-*  
*petiverat, juxta illud Apocal. 2. v. 7. vincenti dabo*  
*edere de ligno vite, quod est in Paradiso Dei mei.*

## PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETI-  
CORUM.

X. Error primus est Brentij in c. 2. Act. & in Ca-  
techismo suo 1551. edito, ubi ait, descendere  
in infernum, sive ad inferos, nihil esse aliud,  
quàm penitus extingui, & interire saltem juxta  
quandam apparentiam & hominum opinionem,  
quibus nimirum is, qui moritur, apparet etiam  
quoad animam perijisse. Quia igitur Christus ita  
mortuus fuit, ut perijisse penitus videretur, dici-  
tur etiam ad inferos descendisse. Non sunt alieni  
ab hoc figmento Gerhardus, Amesius cæteri-  
que Sectarij, dum universim negant, Christi ani-  
mam re ipsâ ad inferos descendisse, ut mox pa-  
tebit.

XI. Error hic manifestè contradicit Sac. Scri-  
pturæ, Symbolis Apostolico & Athanasiano, &  
reliquo PP. testimonijs; siquidem ex illis  
omnibus clarissimè liquet, descensum illum Chri-  
sti fuisse aliquid aliud, quàm ipsam Christi mor-  
tem, ut constabit consideranti. Nam si ipsimet  
Sectarij descensum Christi ad Inferos secundum  
ipsam animæ substantiam exprimere voluissent,  
quibus verbis clariùs fecissent, quàm his è Sacra  
Script. citatis: *non relinques animam meam in infer-*  
*no. Psalm. 15. & Act. 2. descendit ad inferiores partes*  
*terre. ad Ephes. 4. his, qui erant in carcere spiritibus*  
*veniens predicavit. i. Petri 3. S. Augustinus Epist.*  
*57. ad Dardanum Q. 1. ait. neque ipso die in celo*  
*futurus erat homo Christus Iesus, sed in inferno secun-*  
*dum animam, in sepulchro autem secundum carnem. Si-*  
*milia alij habent PP. Quid autem his verbis velut*  
*radijs solis limpidissimis clariùs dici potest, quibus*  
*certe dissipantur tenebrosa Sectariorum effugia.*  
De reliquo Brentius, & qui ipsi adstipulantur,  
non obscure produnt exiguam se habere fidem  
de animæ immortalitate; quod bene advertit Va-  
lentina Tom. 4. fol. 583.

XII. Error secundus est, per Inferos intelligi se-  
pulchrum, ut nihil aliud sit, Christum descen-  
disse ad inferos, quàm sepultum fuisse. Ita Buzze-  
rus in cap. 27. Math. & Beza in cap. 2. Actor. ubi  
in verbis illis citatis, *non relinques animam meam in*  
*inferno &c.* vult intelligi debere *pro anima cadaver:*  
*& pro inferno, sepulchrum.* Non afferunt rationem,  
suâ solum nixi phantasiâ. Succurrit tamen Amesius  
Tom. 1. fol. 18. eadem verba Psal. 15. & Ac-  
tor. 2. hoc Syllogismo oppugnans: Locus ac-  
status in quo Christus non fuit relictus, unus i-  
demque fuit cum illò, in quo David dicitur re-  
lictus. Sed ille status, in quò David fuit relictus,  
non aliùs fuit, quàm mors: neque alius locus,  
quàm sepulchrum. Ergo &c.

XIII. Error iste manifestè repugnat ipsi Scri-  
pturæ, in qua inferni seu inferorum nomine lo-  
ca subterreana & ima significantur, quæ scilicet  
plurimum distant à superficie terræ deorsum, si-  
cut plurimum etiam distat fursum versus; Nam  
nomen græcum *ad v. Matth. 11. v. 24.* ubi urbs Ca-  
pharnaum descensura dicitur ad infernum, non  
potest accipi pro sepulchro, quia ridicula esset  
antithesis inter cælum & sepulchrum, neque Lu-  
cæ 16. v. 22. ubi dives dicitur in inferno esse in  
tormentis. Genes. 37. v. 35. cum ait Jacob *descen-*  
*dam lugens ad filium meum in infernum,* minime  
potest intelligi sepulchrum, quia Jacob crede-  
bat Joseph à bestijs devoratum, animam verò  
ipsius in inferno, Limbo scilicet, loco justorum.  
Pari ratione repugnat Sententiæ communi SS.  
Patrum qui, ut vidimus, magno consensu asserue-  
runt, infernum, in quem Scriptura Christum  
dicit descendisse, fuisse locum subterraneum, in  
quo erant animæ SS. PP. Unde S. Hieron. Scri-  
pturarum peritissimus in cap. 4. ad Ephes. supra  
citatus non modò id asserit, sed etiam ex Script.  
confirmat: *inferiora, inquit, terra infernus acci-*  
*pitur &c.* Tertul. lib. de anima cap. 31. in rem  
præsentem sic præclare scribit: *nobis inferi non*  
*nuda cavostias, nec subdivals aliqua mundi sentina cre-*  
*duntur: sed in fossa terra & in alto vastitas & in ipsis*  
*visceribus ejus abstrusa profunditas; siquidem Christum*  
*in corde terra triduum mortis legimus expunctum, id est,*  
*recessu intimo, & ex ipsa terra aperto, & inferi-*  
*oribus ad huc abyssis superstructo. Quid iterum*  
*hæreticas tenebras majori luce dissipare potest?*  
Demum repugnat communi loquendi modo. Di-  
cunt omnes fideles ex Scriptura de Christo, quod  
descenderit ad inferos; nemo autem dicitur de-  
scendere in sepulchrum, sed poni in sepulchro.

XIV. Ajunt Bucerus, Beza & alij Novatores,  
Hebræum Scheol, Græcum *ad v. & Latinum in-*  
fernum ordinariè accipi pro sepulchro. Sed hoc  
apertè falsum esse, patet ex Gen. 37. v. 25. *Descen-*  
*dam lugens ad filium meum in infernum.* Psal. 138. v.  
8. *Si descendero in infernum, ades.* Isaia 14. v. 11. *Ad*  
*infernum detrahèris in profundum lacu, &c.*

XV. Ad Syllogismum Amesij dico, nec Majorè  
nec Minorè reperiri in Scriptura; & hanc Minorè  
luculenter esse falsam, ut ex ipsis verbis Apostoli  
patet; ait enim v. 38. *Davidem non ascendisse ad celos,*  
*ejusque sepulchrum adhuc superesse.* Loquitur igitur  
tam quoad Christum, quàm quoad Davidem de  
utroque, anima scilicet & corpore; & de Chri-  
sto sensus est: non permittas diu animam meam  
versari in inferno, ad quem mox à morte victrix  
descender, nec ut unigenitus tuus videat corru-  
ptionem in sepulchro.

XVI. Instat Hündius apud DD. à Wallenbüch loc. cit. fol. 58. aïens, non relinqui, nihil esse aliud, quam liberari à miseria, quam Christus non habuit in limbo, sed in morte & sepulchro. Negatur de miseria propriè dicta in sepulchro, quod absque blasphemia dici non potest; siquidem Christus per mortem implevit passionis suæ tempus. Si de miseria impropriè dicta sit sermo, de appetitu scil. reunionis, talis animæ potius, quam corpori competit, ubi illa existat.

XVII. *Error tertius est*, Christum non descendisse eo fine ad inferos, ut Patrum animas ex limbo liberaret. Ita Gerhard. lib. 2. p. 2. fol. 310. & Amef. Tom. 1. fol. 114. quos cæteri Lutherani & Calvinistæ omnes sequuntur. Probant 1. quia Sancti Novi Testamenti statim veniunt ad Cælum, ut fatentur Pontificij. Ergo & Beati in Veteri Testamento mox cælum fuerunt ingressi. 2. Christi Passio semper est efficax ad acquirendam salutem. Ergo sicut ejus beneficio nunc Sancti statim ascendunt ad cælum, ita etiam ascenderunt ante aduentum Christi. 3. Bellarminus lib. 1. de Purgator. c. 3. locum illum Zachariæ c. 9. v. 11. *tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*, existimat, melius adduci pro purgatorio, quam limbo. Ergo non probatur descensus Christi in limbum ad P.P. inde educendos. 4. Nulla est ratio, cur Christus in inferno prædicaverit solum ijs, qui increduli fuerunt tempore Noë. Ergo frustra asseritur descensus Christi in limbum ad prædicandum ibi Animabus sanctis.

XVIII. Errori huic apertissimè adversantur testimonia SS. Patrum adeo perspicua, ut non nisi ab obstinato hæretico in alium sensum detorque-ri possint. Nunquid plerique ajunt: *descendit ad infernum solus, regressus autem est cum multitudine: abiit, ubi erant animæ mortuorum: predicavit ijs, qui erant apud inferos: pro omnibus sanctis ad infernum descendit, inde Protoplasten revocavit: descendit ad inferos, ut inde Justos liberaret: descendit ad infernum anima desiccata, ut ijs, qui sub terra & umbra mortis sedebant, lux resfulgeret?* &c. Quis autem sanæ mentis homo hæc & ejusmodi dicat nihil esse aliud, quam indicare communem mortis statum: descensum Christi pænalem, ac humilitatis partem: liberationem à reatu & judicio damnationis imminentis, ut fingit Amefius. Prædicta SS. Patrum testimonia, declarant illa verba S. Pauli ad Ephes. 4. v. 9. & concordant eisd. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* nempe unde captivam duxit captivitatem, ut prius v. 8. dixerat ex Psal. 67. v. 19. hoc est, ex inferiore terræ parte veluti ex carcere captivos P.P. & Justos tanquam prædam de manu Sata-næ rapuit, & secum in veram libertatem ac cælum deduxit.

XIX. Obstrepit Amefius fol. 111. ex Beza per inferiores partes non nisi terram intelligi, quæ est inferior mundi pars respectu cæli. Sed hoc contrarium est menti & verbis Apostoli affirmantis, descendisse Christum in inferiores partes non mundi, sed terræ, quod nullo sano sensu intelligi potest, nisi de centro terræ, infra quod non est aliud quid, ut loquuntur P.P. perinde ac si dicerem: descendi ad inferiores partes carceris, non solum indicarem ingressum me fuisse domum vel turrim, ubi est carcer, sed etiam descendisse in ima seu profundissima antra ejusdem

carceris. Probationes etiam profus frivola & nullius momenti sunt.

XX. Respondetur ad 1. Negando consequentiam, quia Sancti Novi Testamenti, reperiunt cælum jam reseratum, quod Justis Antiqui Testamenti adhuc fuit clausum. Ad 2. Christi Passionem fuisse in actu primò semper efficacem, concedimus, si cætera sunt paria: secus negatur. Disparitas autem quoad beatitudinem actu consequendam est in eo, quod Sancti Novi Testamenti jam habeant Cælum apertum, quod non habuerunt Sancti V. T. Quid igitur mirum, si diversa sit applicatio in actu secundo ejusdem sanctissimæ Passionis Christi. Ad 3. nihil inde sequi, nisi verba Zachariæ bene adduci pro limbo Patrum, quantumvis fortè melius pro purgatorio adducantur; quid autem prohibet, rem vel dictum unicum convenire duobus uni bene, alteri melius? Ad 4. S. Petrum loco cit. voluisse Fideles excitare ad magnam spem concipiendam, affirmando fore, ut omnes Justi, quantumvis carne mortificati aliquando per Christi gratiam gaudium cælestis beatitudinis consequantur; ad hoc autem quam maximè conducebat exemplum illorum, qui tempore Noë in aquis diluvij perierunt, & tamen factâ pœnitentiâ salvî facti fuerunt. Si enim post longissimum impœnitentiæ tempus tandem visâ prædicatione Noë & instante inter aquas vitæ periculo pœnitentes salutem consecuti sunt, quis eandem desperet, si modò converti serio ad Dominum velit.

XXI. *Error quartus*, descensum Christi ad inferos esse metaphoricum, & in eo consistere, quod Christus tempore Passionis suæ dolores infernales in animâ sua pertulerit. Ita Gerhardus lib. 2. p. 1. à fol. 312. cum suis Lutheranis, & Amefius Tom. 1. à fol. 82. cum suis Calvinianis, ubi ajunt, *descensum animæ Christi localem ad inferos esse otiosum figmentum*. Sed quomodo figmentum otiosum esse potest? quod apertissimis verbis astruit Sac. Scriptura? quod unanimi consensu tradunt S. S. Patres? quod communis tenet omnibus tetrò sæculis Fidelium sensus? an non rectius dicuntur infideles esse, qui istud protervè negant? Non utar pluribus; S. Augustini verba, etsi paucissima, sufficient, sic scribit Epist. 57. *neque ipse die in cælo futurus erat homo Christus Jesus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro secundum corpus*. Et Epist. 99. *quis ergo nisi infidelis negaverit, fuisse apud inferos Christum & secundum animam eum fuisse apud inferos, aperte Scriptura declarat*. Priora ex his verbis supra jam adduxi, ex posterioribus sic concluditur. Quicumque negant realem Christi descensum secundum animam ad inferos quem aperte S. Scriptura declarat, sunt infideles. Amefius, Gerhardus, Hündius aliique sectarij realem Christi descensum secundum animam ad inferos, quem aperte Scriptura declarat, negant tanquam otiosum figmentum. Ergo sunt infideles.

XXII. Cætera, quæ de doloribus inferni à Christo in anima tempore passionis exantlatis Adversarij pro errore suo stabiliendo adferunt, supra jam rejecimus, nec ullum in S. Scriptura ejusmodi pœnæ extat vestigium, ubi tamen passiones Christi sigillatim recensentur, Equidem novi tam Calvinianos sui Calvinij, quam Lutheranos sui Lutheri erubescere blasphemiam, & impium commentum: atque Amefium fol. 82. & Menonem Hanneken in Ireneo suo fol. 995. dicere, hanc esse meram

meram calumniam Papistarum, sed benevolus Lector inspiciat locos à nobis adductos: & verissimum reperiet id, quod diximus. Videantur D.D. à Wallenburch Tom. 1. fol. 429. Ubi ostendunt, quomodo Calvinista ex suo Magistro Calvino explicent in suis Catechismis articulum fidei: & scriptus est. Atq; universim plura de descensu Christi ad inferos apud eisdem Tom. 2. à fol. 52.

CONTROVERSIA XIII.

DE CHRISTO MEDIATORE.

**M**ediator dicitur is, qui inter duos aliquos dissidentes aut certe non conjunctos medium se interponit, ut eos ad concordiam redigat, vel novo fœdere jungat. Contingere autem hoc potest dupliciter, scilicet per substantialem aliquam mediationem, aut per operationem. Priori modo dici quidem potest Christus Mediator secundum Personalitatem, quæ connectit duas naturas, sed non dissidentes; quia Humanitas Christi nunquam fuit contraria Deitati, idcirco de hac unione seu mediatione inpræsentiarum non quæritur, & si Patres nonnunquam de illa loquantur. Posterior seu mediatio in Operatione quatuor modis fieri potest. 1. discernendo & judicando causam, ut arbitri, & judices faciunt. 2. referendo hinc inde pacta & condiciones, ut internuncij. 3. orando & supplicando. 4. Solvendo & satisfaciendo. De istis omnibus quatuor modis intelligi potest hæc Controversia, secundum quam Naturam Christo conveniat Mediatoris officium.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

**I.** *Doctrina prima.* Christus verus, universalis, ac perfectus fuit Mediator inter Deum & hominem: idque certo modo ita fuit solius Christi proprium, ut nulli puræ creaturæ convenire potuerit. Ita omnes Catholici de fide tenent ex illo Pauli Apost. 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Unus enim Deus: unus & Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus, qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ubi Apostolus per unum Deum totam Trinitatem intelligit, & tres præcipue conditiones perfecti Mediatoris soli Christo convenientes designat. Prima quod ipse Christus simul sit Deus & homo, adeoque etiam Naturæ medius inter Deum & hominem, dum mediante Hypostasi Verbi utraque in eo Natura fuit conjuncta. Secunda. quod sit Mediator omnium, qui Redemptione indigent: ipse verò nullius mediatoris indigus. Tertia. quod sit Mediator per modum perfectæ redemptionis & solutionis pretij æquivalentis pro omnibus redimendis, idque non virtute alienâ, sed propriâ, nempe ratione ipsius divini suppositi ex sua Natura habentis, quidquid ad hanc rem necessariò requiritur.

**II.** Hoc tamen minimè obstat, quin alij etiam dici possint Mediatores nostri apud Deum quasi dispositivè, & ministerialiter, ut loquuntur Scholastici cum S. Thom. 3. P. Q. 26. art. 1. adeoque subordinati & inferiores Christo, nobis ad ipsum etiam Christum ejusque meritorum actualem participationem viam sternentes, aut quovis modo cõoperantes, ut patet Deutro. 3. v. 5. ubi Moyses ait: *Ego sequester & medius fuit inter Dominum & vos in tempore illo, ut annuncierem vobis verba ejus.* & Jeremia 18. v. 20. agentis: *Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis;* quod ad litteram ac immediate ad ipsam personam Iremiæ spectat. & ad Gal. 3. v. 19. ubi Apostolus scribit: *Lex ordinata dicitur per Angelos in manu Mediatoris, scilicet Moysis.* Et 2. ad Corinth. 5. v. 20. idem Paulus & suo & aliorum Apostolorum nomine dicit: *Pro Christo ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.*

**III.** Quare & Prophetæ & Sacerdotes veteris Testam. dicti sunt Mediatores inter Deum & homines dispositivè & ministerialiter, in quantum non solum prænuñciabant & perfigurabant verum & perfectum Dei & hominum Mediatorem, sed etiam quatenus suo ministerio divinam voluntatem hominibus denunciabant, & populum suo modo reconciliabant. Unde & nostri Sacerdotes novi Test. dici possunt Mediatores Dei & hominum, in quantum sunt Ministri veri Mediatoris ipsius vice salutaria hominibus Sacramenta exhibentis, atque hoc ipso multò efficacius ad hominum salutem & unionem cum DEO cõoperantes.

**IV.** *Doctrina secunda.* Christus secundum solam Naturam humanam fuit Mediator ac Sacerdos, loquendo de Natura, à qua Mediatoris & Sacerdotis opera exercentur: Radix verò, ex qua opera illa moraliter suam vim & valorem perfecte satisfaciendi, & munere Mediatoris fungendi traxerunt, fuit Verbum Divinum, seu divina Natura; unde principium completum, quod exercebat opera Mediatoris, nec fuit solus Deus, nec solus homo, sed utrumque simul, nempe Christus Homo & Deus. Ita communis Catholicorum apud Bellarm. lib. 5. de Christo c. 1. Ubi allegat Magistrum. Senten. 3. dist. 19. D. Bonav. ibid. art. 2. q. ult. D. Thom. 3. P. q. 26. art. 2. quos Magistros Veteres Theologi sequuntur. Ratio 1. partit est. Quia orare, pati, promoveri, Deoque sacrificare &c. non sunt actus Naturæ divinæ, sed inferioris, & ab hac distinctæ. Confirmatur. Mediator, quæ talis, debet distinguì ab illis, inter quos exercet officium Mediatoris. Atqui secundum Naturam humanam distinguitur à Deo, & peccatore. Ergo solius Naturæ humanæ operationes sunt operationes Mediatoris quæ talis. Hinc rectè Doctores communiter asserunt, Naturam humanam, non divinam fuisse principium Quo exercebantur opera Mediatoris.

**V.** Prosecunda parte supponimus, tria principia per se nota & ab omnibus recepta. 1. est. Offensa eò major censetur, quòd offensus majori honore & reverentia dignus erat: & vilior offendens. 2. Valor & dignitas satisfactionis sumitur ex dignitate Personæ operantis & satisfaciensis. 3. Inæqualitas inter offendentem & offensum, quæ per peccatum evenit, tam diu manet, donec satisfaciens

gha.  
er  
ologia  
mica  
XI  
9

faciens tantum honorem exhibeat offenso, quantum injuriam lædendo intulit; citius enim per se loquendo non tollitur. Ex his ab omnibus receptis principijs jam facile apparet ratio secundæ partis. Nam pro peccato satisfieri perfecte non potest, nisi per opera exhibita à persona tantæ dignitatis, quantæ est persona offensa. Atqui in proposito persona offensa est infinitæ dignitatis. Ergo ut huic pro peccato perfecte satisfiat per opera aliqua, debent ista exhiberi à persona infinitæ dignitatis. Sed humana Natura & omnis creatura etiam perfectissima est finitæ solum dignitatis. Ergo Natura divina & Verbum accedere debent, ut opera ab humanitate exhibita infinitum quemdam valorem habeant, tantumque honorem conferant, quantum injuriam actio prius intulit.

V.I. Ratio tertiæ partis ex modo dictis constat, quia absque natura humana opera non possunt esse satisfactoria, & meritoria: absque divinâ verò hypostasi & Naturâ non possunt esse eadem æqualia offensæ. Ergo nec Deus solum, nec homo solum, sed utrumque simul Christus Deus & homo est Principium completum quod exercebat opera Mediatoris.

VII. Ex his inferitur 1. Christum, ut Deum, simpliciter & absolute loquendo, Mediatorem dici non posse, sed ut Hominem. Ita communiter Theologi. Probant. Tum ex illo D. August. lib. 10. Confess. c. 43. Ubi ait: *in quantum homo, in tantum Mediator; in quantum autem Verbum, non medius, sed equalis Deo.* Et Traët. 82. in Joan. Mediator Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo, est Jesus Christus. Tum quia ea, quæ Christo conveniunt per humanam naturâ, non possunt dici de Deo & Christo in quantum Deo; talis autem est functio seu officium Mediatoris. Tum quia particula, *ut, in quantum &c.* reduplicative sumpta denotat partem seu Naturam subiecti, ratione cujus eadem prædicatum convenit, quæ non est Natura divina, sed humana.

VIII. 2. Christum non posse, simpliciter loquendo, dici Mediatorem secundum divinam Naturam, ut rectè Bellarm. lib. 5. cit. c. 3. cum scholasticis. Ratio ex dictis sumitur; quia Christus secundum Naturam divinam nec medius fuit inter Deum & hominem, nec exercuit functiones Mediatoris; At verò secundum Humanam Naturam eximie sanctificatam utrumque eidem convenit. Confirmatur, aliàs dici posset Christus Mediator, in quantum Deus, quod recens negavimus.

IX. Neque Divinitatem neque Humanitatem in abstracto dici absolute posse Mediatorem, ut habet communis. Tum quia appellatio Mediatoris proprie ad suppositum seu personam pertinet. Tum quia neque Divinitas neque Humanitas absolute meretur & satisficit; siquidem agere, absolute loquendo, est suppositorum. Tum quia Divinitas opera Mediatoris proprie non exercet: Humanitas verò ad munus perfecti Mediatoris per se non sufficit.

X. Christum, absolute loquendo, rectè etiam dici Mediatorem, ut Deum-hominem, sive ut Hominem-Deum, adeoque ut Christum, quò nomine formaliter significatur una persona in utraque natura subsistens. Ita innuunt S.S. Patres, dum ad munus Mediatoris necessarium esse docent unionem duarum naturarum in una persona.

Ratio est, quia in proposito particula *ut* non solum est nota specificationis, sed etiam perfectiæ significans prædicatum per se Christo convenire. Videri possunt Suarez Vasq. & alij Scholastici.

XI. Porro Christum Mediatorem meruisse, omnes Catholici tenent, idque de fide; tum quia Sac. Scriptura passim aut promittit Christo præmium, aut redditum testatur, tum quia Concilium Trid. Sess. 6. cap. 7. asserit, *causam nostræ justificationis esse Christum.* Cæterum quibus actionibus & quid tam sibi, quam alijs Christus meruerit, nunc breviter dicendum.

XII. *Doctrina Tertia.* Christus Mediator Dei & hominum meruit omnibus hominibus remissionem peccatorum, atque omnia alia ad salutem conducentia: sibi verò gloriam corporis. Ita ex communi Theologorum Gregorius de Valentia in Opere controversifico fol. 812. Ratio 1. partis sumitur ex eo, quod *Deus benedixit nos omni benedictione spirituali in Cælestibus, in Christo,* id est, per Christum causam meritoriam ad Ephes. 1. v. 3. Item quod Christus pro omnibus fuerit mortuus, ut constat ex S. Script. 1. Joan. 2. v. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Hunc locum Trid. Sess. 6. c. 2. & 3. accipit sub distributione generica. Ad Rom. 8. v. 32. *qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* 1. ad Timoth. 2. v. 1. & 5. *Obsecro igitur primam omnium orationes fieri pro omnibus hominibus &c.* Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Ratiocinatio Apostoli hæc est: ideo pro omnibus orandum, quia unus omnium Deus & unus omnium Mediator, nec plurius Deus, quam Mediator &c.

XIII. Idem constat ex Concilijs & Patribus Trident. Sess. 6. c. 3. sic habet: *Esti ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: sed ij dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Clemens Alexandr. Lib. 7. Stromatum p. 2. ait, *servator est non horum quidem aut illorum, sed omnium.* Ambr. Lib. 1. de Jacob & beata vita c. 6. in illa verba ad Rom. 8. & pro nobis omnibus tradidit illum, mirè inquit, *addidit pro omnibus, ut ostenderet, quod ita omnes diligit ut dilectissimum pro singulis traderet.* Aug. Lib. 6. contra Julianum c. 9. sic scribit: *Apostolus unum dixit fuisse, in quo omnes peccaverunt: in illo uno mortui sunt omnes, ut moveretur alius unus pro omnibus. Unus enim pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est.* Leo Papa Serm. 1. de Nar. Domini dicit: *dominus noster peccati mortisq. destructor, sicuti nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Similia habent alij PP. Sacræ Scripturæ & Patribus accedunt Scholastici cum S. Thoma, qui in 1. ad Tim. 2. v. 4. Lect. 1. sic docet: *Homo Christus est Mediator Dei & hominum; non quorundam, sed inter Deum & inter omnes homines, & hoc non fuisset, nisi vellet omnes salvare. Videatur nominatim P. Martinus de Esparza de Incarn. q. 41. Ubi egregie hac de re discurret.*

XIV. Ratio secundæ partis est, quia licet gloria aliqua corpori deberetur ratione unionis hypostaticæ; hæc tamen gloria specialis, quæ corpori Christi accessit, per redemptionem, cujus gloriosissimæ victoriæ signa in illo resurgent, præsupponit merita in passibilitate corporis fundata. Idem dicendum de impassibilitate Animæ, gloriose Resur-

Resurrectione, & Admirabili Ascensione, de titulo Capitis, & Regis uniuersorum; non quidem quoad actum primum, sed quoad actum secundum, & quoad perfectum statum, usum & perfectionem, qualem Christus post Resurrectionem primum acquisiuit, iuxta id Matth. ult. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terrâ;* quò pacto conciliari possunt oppositæ opiniones Doctorum. Unde discrimen apparet inter ista recensita, & Visionem beatificam, & Gratiam sanctificantem, cæterisque habitus infusos, quæ sunt data Christo ex debito connaturalis proprietatis respectu Unionis Hypostaticæ, ut omnes fatentur, & quidem in primo suæ Conceptionis instanti. Quod si hæc ipsa non eo data fuissent, quo debebantur, tempore, sed ob aliquas causas dilata in aliud tempus, tunc illa potuissent etiam dari per modum præmij, concedit Suarez de Incarn. Disp. 40. Sect. 2.

## PARS POSTERIOR.

## ERRORES HAERETICORUM.

XV. **E**rror primus. Stanchkarorum (à Francisco Stanchkaro) qui dixerunt, humanam Naturam ita fuisse adæquatam principium Mediationis, ut opera Christi nullam dignitatem acceperint à Diuinitate: neque hanc aliter concurrisset, quam tribuendo vires humanas sustinendi dolores passionum. Ratio istorum potissima fuit, quod in Epistola Agarthonis, quæ lecta est in Synodo 6. Actione 1. negetur opus Personale, & asseratur opus Naturale in Christo, hoc est, tribuantur opera Christi Naturis, non Personæ.

XVI. Error iste non est alienus à Nestorianismo. Nam voce fatetur unam Personam in Christo, re autem ipsâ ponit duas, & planè euacuat mysterium Redemptionis. Nam si sola Natura humana agit opera illa satisfactoria, sequitur Naturam humanam per se substituisse, ac proinde suppositum fuisse à supposito diuino distinctum; æque quippe suppositorum est. Duo igitur supposita erant in Christo, quæ est ipsa hæresis Nestorij. Repugnat etiam Sac. Scripturæ & Patribus. Illa enim passionem Christi, quæ est præcipuum opus Mediatoris, tribuit Deo & Domino Act. 20. ubi dicitur Deus v. 28. *In sanguine suo Ecclesiam acquisiuit se:* Isti verò ostendunt, Christum non futurum fuisse Mediatorem, nisi etiam extitisset Persona diuina, quæ officium Mediatoris exerceret. Basil. in illud Psal. 48. v. 8. *Frater non redimit, redimit homo: Si homo, inquit, redimere nos non potest, qui nos redimit, non est homo. Ne igitur propterea, quod in similitudine carnis peccati ad nos accessit, hominem solum putes Dominum nostrum &c.* Taceo non futuram fuisse sic Incarnationem Verbi, si humana persona satisfecit. Ad quid enim diuina Persona uenisset, si humana suffecisset?

XVII. Respon. ad rationem in oppositum, nō velle. Agathonem negare, opera Christi esse opera Personæ, & unius atque ejusdem Personæ: Sed solum, non esse in Christo unum tantum opus juxta unam Personam operantis, sed esse duo opera juxta duas Naturas, per quas Persona una operatur; opera enim multiplicantur ad multiplicacionem principij formalis, sicuti etiam in Trinitate tres sunt, qui operantur, & tamen unum est eorum opus, quia unum est principium formale, videlicet Natura diuina.

XVIII. **E**rror secundus. Christum esse Mediatorem nostrum, & secundum utramque Naturam operari & munus Mediatoris peregrisse. Ita Calvinus in epistolis duabus ad Polonos. Bullingerus, Petrus Martyr, Melancthon locis commu. c. de Filio. Kemnitius Lib. de duabus Naturis. Gerhardus Lib. 2. Parte. 1. à fol. 345. Amesius à fol. 118. & alij Sectarij. Probant. 1. ex illis verbis Christi Joan. 10. v. 17. & 18. *Ego pono animam meam à me ipso;* quæ verba volunt esse intelligenda de Deo, quasi dixisset: *Ego quia Deus pono animam, quia solius Dei erat, eam ponere, & pro libitu resumere.* Item ex illo 2. ad Corint. 5. v. 19. *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians;* ubi ajunt, partes Dei aliquas fuisse in reconciliacione procuranda. Probant. 2. ex Patribus asserentibus, Christum fuisse Mediatorem per operationes Theandricas, seu Deiviriles. Atqui hæc sunt operationes utriusque Naturæ, diuinæ scilicet & Humanæ. Ergo &c. Probant. 3. Ratione. renouare corda, dare Spiritum Sanctum &c. sunt opera Mediatoris. Atqui hæc sunt opera Dei; Ergo &c.

XIX. Errorem hunc abunde rejiciunt. Inprimis allata Verba D. Pauli ex 1. ad Timoth. 2. *Unus Mediator Dei & hominum homo Christus JESUS.* Ad quid enim adderetur Tò homo, nisi ad exprimentam Naturam; secundum quam Christus est Mediator? Expressit, inquit Amesius fol. 120. Naturam, secundum quam est Mediator, sed non secundum quam solam. Sed cur, quæso, non exprimeret utramque, si utraque esset? Instat. Simili ratione concludere quis posset, Christum tantum secundum humanam Naturam habere potestatem remittendi peccata, quia Matth. 5. v. 6. dicitur, *Filium hominis habere potestatem dimittendi peccata.* Sed disparitas est luculenta. Nam satis constat, diuinæ Naturæ principaliter conuenire potestatem remittendi peccata, quod nec Judæi quidem in dubium revocabant; hic autem exprimi debuit, quis sit noster Mediator.

XX. Deinde validè eundem errorem expugnant rationes supra allatæ; quippe Offerens inferior debet esse illo, cui offert Sacrificium, quod Christo non nisi secundum humanam Naturam conuenire potest.

XXI. Demum gravis errorem illum sequela repellit. Nam si sit operatio una utriusque Naturæ tanquam Causæ propriæ & principalis, sequitur turpis confusio hæresis Eutychianæ & Monotheliticæ; quia duo illa principia formalia diuinæ & humanæ Naturæ secundum suas distinctas virtutes deberent concurrere ad unum idemque indivisibile sacrificium, quod impossibile est quoad Naturam diuinam, nisi hæc ejusque operario confundatur cum Natura humana, qui est ipse error Eutychianismi.

XXII. Cæterum dignificatio, quæ à Verbo moraliter in opera Humanitatis promanat, nullo modo est physica operatio, aut influxus, & efficientia realis Diuinitatis in opus aliquod dignificatum, sed fit hoc ipso, quod Verbum per unionem Naturæ humanæ conjungatur, vi cujus verissime actiones humanæ naturæ per communicationem idiomatum à DEO fieri dicuntur.

XXIII. Respondetur ad 1. Adversarios vel non legisse, vel dissimulasse ea, quæ loco cit. Joan. 10. statim adduntur: *propterea diligit me Pater; quia pono animam meam.* Atqui Verbum non diligitur à Patre, propterea quod, quia Deus, posuerit animam suam, Itaque quantumvis Verbum dicatur posuisse animam per denominationem suppositi, hoc tamen factum est per actum voluntatis procedentem ab Humanitate, & liberè acceptantem mortem, sicuti etiam eadem Humanitas ex potestate sibi facta à Verbo reassumpsit eam per Unionem cum corpore.

XXIV. Dicit Amesius fol. 123. si potestas hæc fuerit humanæ Naturæ data, tum Natura humana habet potestatem divinam. Concedo habuisse divinitus concessam instrumentariam virtutem, sicuti ad quævis alia miracula: nego tamen, idcirco habuisse ipsam Omnipotentiam divinam in Natura Humana subjective & intrinsecè, uti in sequenti controversia dicemus. Urget. Christus mortuus non fuit homo; quomodo igitur Christus, ut homo, animam presumendi potestatem habuit. Aio ex communi Scholasticorum, fuisse eam potestatem in ipsa anima, sive dein sermo sit de moralis, sive de physica potestate.

XXV. Reconciliatio, cuius mentio fit ex 2. ad Corinth. 5. non semper est Mediatoris; Deus enim non reconciliavit mundum, ut Redemptor seu Mediator, sed per Mediatorem, quem procuravit & misit. Reconciliatio à Christo facta est quidem Mediatoris, ut Hominis Verbo juncti; non verò ut Dei.

XXVI. Instat Amef. fol. 124. Apostolus dicitur testatur Actor. 20. v. 28. Ecclesiam redemptam fuisse sanguine Christi. Ergo Christus Deus-Homo non tantum procuravit Mediatorem, sed & Mediatoris munere functus est. Respon. disting. consequens. Ergo Deus-homo Mediatoris munere functus est, secundum Naturam Divinam, nego consequentiam: secundum Naturam Humanam, concedo consequentiam. Secundum istam enim Naturam humanam elicitur actiones satisfactorias, quibus infinitum valorem contulit Hypostasis Verbi.

XXVII. Ad 2. Patres per operationes theandricas sive Deiviriles intellexisse operationes Naturæ humanæ Deificatæ: & Deificatas à Deitate participata per Unionem Hypostaticam; propter quam communicationem dicuntur & nominantur operationes Verbi, & Dei per communicationem Idiomatum.

XXVIII. Movet hic aliquos Concilium Lateran. Sub Martino I. definiens, *Theandricam operationem in Christo non esse unam tantum, sed duas operationes, alteram divinam, & alteram humanam.* Sed sensus Concilii colligitur ex scopo ejusdem, qui fuit damnare errorem Monothelitarum asserentium, operationem theandricam esse tantum divinam, nempe decretum divinæ voluntatis. Vult ergo Concilium præter & ultra illud decretum requiri etiam operationem Naturæ & Voluntatis humanæ, quæ Christus Miracula fuit operatus, ad quæ quidem requirebatur decretum Dei, sed voluntas humana ultimò determinavit divinam, cuius erat instrumentum animatum & rationale.

XXIX. Ad 3. Distinguendo. Sunt opera Dei tanquam Causæ physice principalis, conceditur: tanquam Causæ meritorie, negatur. Nam meritorie hæc facere, est proprium Mediatoris. At-

qui iste modus dandi Spiritum Sanctum non est Dei formaliter, sed hominis: Dare autem Spiritum Sanctum & renovare corda efficienter, & ut Auctorem doni, non est Mediatoris, sed ejus, apud quem Mediator intercedit, id est, Dei. Patet ex eo, quia cum donum Spiritus Sancti & omnis illuminationis detur à tota S. Trinitate, si ejusmodi donatio esset Mediatoris, tota Trinitas esset Mediator. Pari ratione docere principaliter est Dei, id est Trinitatis: docere per modum instrumenti, est hominis. Quare Christus, ut Deus, fuit verus & Principalis Doctor ac Magister: Idem, ut homo, Mediator Dei & hominum fuit Doctor, ut instrumentum Divinitatis; attamen conjunctum & singulare, non separatim & commune, qualia instrumenta fuerunt Prophetæ, & Apostoli.

XXX. Hic in iram surgens exclamat Amesius fol. 125. negare hanc efficientiam esse Christi Mediatoris, nihil aliud esse, quam negare omnium potestatem in Cælo, & in terra datam esse Christo Math. 28. v. 3. *dare eum vitam æternam suis.* Joan. 10. v. 28. *baptizare nos in spiritu & igne.* Matth. 3. v. 11. *mittere Spiritum à Patre.* Joan. 15. v. 26. *conservare suos in hoc mundo.* Matth. 28. v. 20. *& suscitare eos in novissimo die* Joan. 6. v. 58. in summa, nihil aliud esse, quam Christum negare efficaciter esse Jesum sive Salvatorem. Sed planè vana est hæc sine viribus ira, nec nisi imperitos terret; siquidem plus his omnibus non evincitur, quam Christum Mediatorem hæc omnia nobis meruisse: Deum autem, ut Auctorem donorum & omnis boni imò totam Sanctam Trinitatem efficere; adeoque illum causam meritoriam esse: hunc verò causam physicam principalem. Nam si per impossibile Verbum Divinum post peracta omnia mysteria nostræ Redemptionis Humanitatem solutâ unione, dimisisset, nonne adhuc prædicta omnia nobis ex merito Christi Mediatoris deberentur, & à DEO concederentur? absque ulla tunc Christi, ut hominis, efficientia physica. Ergo Mediatoris per se sufficit influxus moralis ratione meritorum.

XXXI. *Error tertius.* Christum non fuisse mortuum pro omnibus hominibus. Ita Calvinus in 1. Epist. Joan. cap. 2. v. 2. Item in cap. 16. Joan. Et alij hæretici, cui consonat Cornelius Jansenius Hollandus è Doctore Theologo Episcopus Iprensis (non ille alius Cornelius Jansenius Flander Gandavensium Episcopus, & celeberrimus Concordiæ Evangelicæ Scriptor) Tom 1. Lib. 8. cap. 26. columnâ 546. ubi hæc habet: *Christus non pro totius mundi Redemptione Crucifixus & mortuus est, sed tantum pro ijs, qui salvantur.* Fundant se in pravo intellectu Sacræ Scripturæ & Patrum, atque in eo maxime, quod arbitrentur, deesse omnibus hominibus gratiam sufficientem, ut mortis ac redemptionis Christi participes fiant.

XXXII. Errorem hunc tanquam veræ Catholicæ Fidei ac doctrinæ contrarium damnavit Innocentius X. Pontifex Anno 1653. die 9. Junij Constitutione, quæ incipit: *Cum ex occasione impressionis Libri, cui titulus: Augustinus Cornelij Jansenij Episcopi Iprensis &c.* quam deinde Constitutionem confirmavit ac declaravit Alexander VII. Anno 1656. Septimo Kalend. Novembris. Super sedeo itaque præter dicta §. XIII. & seqq. pluribus illum refutare, utpote manifestè adversantem S. Scripturæ, SS. Patribus, & communi Catholicorum sensui, Pulcherrimè Hieron. Epistola ad

la ad Oceanum de Bigamia in rem presentem sic scribit: *Mentitur Ioannes Baptista & digito Christum & voce demonstrans: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi; si sunt adhuc in saeculo, quorum Christus peccata non tulerit.* Atqui juxta Calvinum & Janfenium perpacui sunt, & grex pusillus, quorum Christus peccata tulit; cum non sit mortuus, nisi pro solis salvandis. Gratiam sufficientem nulli hominum deesse: Deumque omnibus satis providere, dicemus suo loco.

XXXIII. Error quartus est, Christum nihil sibi meruisse. Ita Calvinistae apud Amesium Tom. 1. fol. 126. & Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. Parte 1. à fol. 370. Probant. Tum quia Christus ab instanti Conceptionis suae fuit Comprehensor. Tum quia Christus omnia nobis meruit: nec est, cur sibi gloriam corporis & non animae meruerit. Tum quia melius est aliquid habere sine merito, quam ex merito; propius enim illud accedit ad perfectionis modum, qui reperitur in DEO.

XXXIV. Errorem hunc rejicit Sac. Scriptura in variis locis Christo rationem meriti tribuens respectu rei sibi acquisitae. De gloria Corporis constat ex Luca 24. v. 26. ubi ait Christus de se ipso, *nomine oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam; utique corporis; quia ante passionem ad gloriam animae jam intraverat?* Et in Epist. ad Hebr. c. 2. v. 9. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloriae & honore coronatum.* De exaltatione Nominis ex Epist. ad Philip. 2. v. 9. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur.* Idem patet ex Joan. 17. v. 6. atque alijs locis. Ceterum omne Christi meritum fuit ex condigno: atque omnia imò & singula opera libera ex se meritoria de condigno fuerunt praemij infiniti. Unde Clemens Papa VI. in Extrau. Unigenitus: docet disertè *Christum suis meritis acquisivisse infinitum thesaurum hominibus, qui nunquam exhaustiri aut minui possit propter infinitatem meritorum Christi; cujus unica gutta propter unionem cum Verbo potuerit pro redemptione generis humani sufficere, ut supra jam diximus.*

XXXV. Respond. ad 1. Christum ex communi Catholicorum doctrina, fuisse Comprehensorem & Viatorem. Nam viator dicitur ille, qui tendit in beatitudinem: comprehensor autem, qui jam beatitudinem obtinet; omnis autem beatitudo perfecta consistit in animâ & corpore; in anima quidem secundum visionem & fruitionem Dei: in corpore verò, secundum quod corpus resurget spirituale, & in virtute & in gloria & incorruptione, ut loquitur Apost. 1. ad Corinth. 15. v. 53. Cum igitur Christus etiam ante Passionem & Resurrectionem clarè videret Deum, adeoque gauderet beatitudine essentiali ac propria animae, ideo rectè dicitur comprehensor; quia verò & anima ejus erat passibilis (seu molestis passionibus & affectionibus obnoxia) & corpus passibile ac mortale, adeoque destitutus ipse perfectâ & consummatâ beatitudine, ideo pro illo quidem tempore simul erat Viator, in quantum tendebat in beatitudinem secundum id, quod ei de beatitudine deerat.

XXXVI. Ad 2. Christum meruisse nobis principaliter, & primariò; hic enim fuit finis illius in carne passibili intentus; disparitas autem nimis manifesta intercedit inter gloriam Animae, quae

ab instanti Conceptionis tanquam Filio Dei debatur, & cujus carentia penitus nihil conduxisset ad Redemptionem nostram: & inter gloriam Corporis, quae miraculosè & dispensatorie fuit difusa, ut posset in corpore nobis simili pro nobis satisfacere.

XXXVII. Ad 3. loquendo de eo, qui est capax augmenti perfectionum accidentalium; melius esse, habere aliquid ex merito, quam sine eo, ut bene docet S. Thom. 3. P. q. 19. art. 33 quippe pertinet ad laudem creaturae rationalis per libera obsequia promereri perfectiones naturae indebitas, quam otiosè & merè precariò accipere. Ait Amef. fol. 126. si aliqua dignitas ad Christum accessit merendo, tum ad animam praecipuè accessit. Dico accessisse hoc, ut haberet anima domicilium sibi congruum, gloriosum scilicet Corpus, respectu cujus fuit anima beata Christi in statu merendi; Alia est ratio de animabus Beatorum in Caelo, quae non dicuntur viatrices, cum neque sint passibiles, sicuti fuit anima Christi: neque corpora eorum agunt aliquid, per quod in beatitudinem tendant, sicuti Christus secundum corporis passionem in beatitudinem tendebat, quantum ad beatitudinem corporis. Videri potest Esparza q. 40. de Incarn.

XXXVIII. Joan. Gerhardus in fine controver: de Christo Mediatore proponit quaestionem: an Filius Dei fuisset Incarnatus, si homo non fuisset lapsus? sed planè ridiculum se demonstrat, cum quaestio haec merè sit Scholastica, de qua egi in Disp. mea Theologica de verbo Incarnato, ex qua nihil volui huc transferre, licet discursui Gerhardi non pauca opponi possent. Videatur Gregorius de Valentia in Opere Controversist. à fol. 803. ubi plura de officio Christi Redemptoris & Mediatoris.

CONTROVERSIA XIV.  
DE COMMUNICATIONE I-  
diomatum.

Ut modò Unio Hypostatica facit, ut duae naturae divinae & humanae per unam & eandem hypostasin verbi subsistant, ita consequenter efficit, ut inter illas sit vera Communicatio idiomatum, id est, praedicatorum sive attributorum, adeo ut, quae competunt Verbo ratione Naturae divinae vel Personalitatis, dicantur de Homine; ac vicissim, quae competunt Christo ratione Naturae humanae, dicantur de Deo ac verbo divino. Indubitatum igitur apud omnes Doctores; imò de fide certum est, dari communicationem idiomatum, per quam verè ac proprie dicatur: *Deus est Homo: & Homo est Deus.* ut constat ex Concilio Ephesino, ubi adversus Nestorianos definitum est: *Beatiss. Virginem Mariam esse Deiparam, hoc est, Matrem Dei; quia nimirum ille homo, cujus est Mater, est verus Deus.* Atque in hujus propositionis veritate omnis ejusmodi praedicatorum communicatio fundatur.

✠: IHS. :✠

## PARS PRIOR

## DOCTRINA CATHOLICORUM.

I. **P**erique D.D. varios loquendi modos in specie examinant, an sint probi, nec ne? quia verò exempla in infinitum multiplicari possunt, & omnium resolutio generalibus quibusdam fundamentis nititur, ideo consultius visum, ex S. Thoma 3. part. q. 16. & alijs T. T. generales quasdam Doctrinas afferre, ex quibus veluti quibusdam regulis de singulis quibusque loquendi modis statui possit.

II. *Doctrina prima.* Quæcunque insunt Supposito, possunt & de eo, & de se invicem prædicari, non quidem in abstracto, sed in concreto. Ratio est, quia tunc adest vera identitas inter rectum subiecti, & rectum prædicati. Hinc infertur 1. Prædicata opposita, simul posse de Christo affirmari, v. g. Simul esse mortalem, & immortalem: neutrum verò negari; quia negatio est malignantis naturæ negans omnem modum & rationem essendi. 2. Deum verè proprièque dici Hominem; ita enim passim S. Scriptura, Concilia, Patres & Theologi cum absolute & sine metaphora appellant, ac convincit allata ratio. Non obstat, quod non sit essentialiter homo; etenim non est etiam merè accidentaliter homo, sed substantialiter propter Unionem substantialem.

III. *Doctrina secunda.* Proprietates Humanitatis neque in abstracto, neque in concreto prædicantur de Deitate: & vicissim nec proprietates Deitatis de Humanitate. Ratio est, quia nullius naturæ proprietates possunt verè dici de eo etiam in concreto, cui natura illa non convenit. Atqui Deitas non convenit Humanitati: Nec Humanitas Deitati. Ergo non possum dicere, Deitas est finita &c. nec vicissim humanitas est immensa, infinita &c. Sed cum rectè dicatur, Deitas est Filius Dei, cur non etiam Deitas est homo? Ideo, quod illa sensum faciat merè identicum: Ista formaliter; siquidem hæc explicat exercitium terminandi Naturam humanam, quod tribuit Deitati, quam solum exprimit.

IV. *Doctrina tertia.* Prædicata concreta, quæ tantum conveniunt naturæ humanæ in abstracto sumptæ, terminatæ &c. non possunt de divina Natura aut supposito prædicari. Ratio esse videtur, quod terminare, & terminari, assumere & assumi differant tanquam activum ac passivum, ac formaliter expriment, quomodo se habeant extrema assumptionis; si autem de Deo aut supposito divino prædicaremur assumi, & terminari passivè, sensus esset falsus, nempe ipsam Naturam divinam formaliter assumptam esse, aut certè hypothesis. Similiter si diceremus, Naturam humanam terminare, assumere activè, incarnatam esse &c. sensus æquè falsus redderetur; ut per se patet.

V. *Doctrina quarta.* Prædicata, quæ involvunt imperfectionem creati suppositi, excludendo divinum, non possunt de persona Christi & Verbi prædicari. Nam malè dixeris: Christus est purus homo, est peccabilis, est alius à Deo, est Filius adoptivus. Ratio clara est, quia sicut à Christo & Verbo excluditur creatum suppositum, sic etiam

excluduntur ea prædicata, quæ tale suppositum requirunt. Similiter prædicata, quæ de Deo in concreto, sed ratione aliarum personarum dicuntur, ut esse Ingenitum, esse Genitorem, misisse Filium &c. Sicuti non dicuntur de Verbo, ita nec de Homine, quia communicatio idiomatum fundatur in unitate Personæ; Vnde illa solum prædicata communicantur, quæ possunt affirmari de supposito Verbi, & non omnia, quæ possunt affirmari de Deo in concreto.

VI. *Doctrina quinta.* Quædam propositiones absolute veræ, additâ reduplicatione sunt falsæ: & è contrario aliquæ falsæ additâ reduplicatione sunt veræ. Ita nominatim Arriaga de Incarn. Disput. 46. sect. 4. contra nonnullos alios Scholasticos. Declaratur prior pars, v. g. falsò dices, Christus quia Deus est homo, est passus, est finitus. Christus quia homo est Deus; est omnipotens, æternus &c. Ratio est, quia per reduplicationem prædicatum innuitur convenire subiecto vi Naturæ reduplicatæ seu importatæ ex parte subiecti. Declaratur pars posterior, v. g. absque limitatione falsò dices: Christus fuit ab æterno, quia hæc propositio in rigore accepta indicare videtur, Humanitatem ab æterno exitisse; & ab æterno fuisse unitam verbo; si addas limitem: Christus secundum Deitatem fuit ab æterno, verum dices. Hanc propositionem de Christo: iste homo (absque reduplicatione secundum Humanitatem) incepit esse; bene etiam rejiciunt cum S. Thom. q. 26. cit. plerique DD. quia significat, hoc suppositum antea nullum simpliciter esse habuisse, cum tamen habuerit divinum.

VII. *Doctrina sexta.* Quæ sunt alterutri Naturæ essentialia, non debent de Christo denominativè prædicari; ne putentur more accidentium denominativè, non autem substantivè & in quid prædicari posse. Hinc S. Thom. art. 3. negat, Christum dici hominem Dominicum, quam etiam propositionem plerique T. T. rejiciendam censent. Alia est ratio hujus nominis (divinus) quod licet terminativè simile sit denominativis, tamen ex usu accipitur essentialiter; unde Divina Essentialia, Verbum divinum &c.

VIII. *Doctrina septima.* Unamquodque dicitur factum; esse illud, quod de novo esse incipit. v. g. aqua dicitur facta calida, Petrus factus Sacerdos &c. Cum ergo Deus inceperit esse homo, rectè dicitur, Deus factus est homo, juxta illud Joan. 1. v. 14. *Verbum caro factum est*, ita communiter Doctores: è contra non rectè dicitur, homo factus est Deus; quia quod aliquid fieri dicitur, ordinariè præsupponitur prius non fuisse tale; cum ergo homo concretè sumptus supponat pro supposito, quod hic non incepit esse Deus, sed semper fuit, malè dicitur factus esse Deus.

IX. *Doctrina octava.* Quædam propositiones in rigore & proprietate sunt veræ; tamen propter grassantes hæreses, speciem falsi sensus, absque limitatione non sunt usurpandæ. Ita D. Thom. art. 8. & 9. qui ideò non vult admittere hæreses propositiones: Christus est creatus, sive est creatura; Christus est incorporeus, impassibilis, nisi priori addatur secundum humanitatem, posteriori secundum divinitatem; quamvis eadem remoto scandalo & erroris periculo non rejiciat, quem communiter alij T. T. sequuntur, moti auctoritate Patrum, qui illas propositiones absolute usurparunt, ut videre est apud Vasq. in 3. P. d. 65. cap.

D. 65. cap. 2. Ratio esse potest, quia cum dicimus, Christus est creatura, sumimus creaturam concretam, q. d. Christum esse creatum. Atqui hæc propositio in rigore & proprietate sermonis est vera absque limitatione. Ergo & illa. Probatur Min. prædicata affirmativa propria Naturæ tribuuntur eidem Naturæ in concreto seu supposito; nisi obster aliqua specialis ratio; unde quia Humanitas fuit crucifixa, mortua &c. dicitur absolutè & sine limitatione, Christum esse crucifixum, mortuum &c. licet utique Personalitas verbi secundum se non fuerit crucifixa mortua &c. Ergo similiter cum Humanitas sit creata, rectè in concreto sive supposito dicimus, Christum esse creatum sive creaturam.

X. *Doctrina nona & ultima.* Quidam loquendi modi à SS. Patribus usurpati piè sunt explicandi, subintellectis limitationibus, sed non imitandi. Nam frequenter usurpant P. P. abstracta pro concretis, ut dum dicant, divinitatem esse incarnatam, vitam esse mortuam, Deitatem passivam &c. Præterea quidam loquendi modi apud Græcos usitati apud Latinos malè sonant; ut Deus Sarcophorus; carnifer, Androphorus, homifer, Emanthropimemus inhumanatus. *Detrahemus.*

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XI. *Error primus.* Christo secundum Humanam Naturam vi Unionis Personalis & Exaltationis ad dextram Dei verè ac realiter communicata sunt dona verè divina & infinita: Itemque Majestas & Gloria verè divina & infinita. Ita Johannes Gerhardus Lib. 2. p. 1. art. fol. 265, & in suis disputat. Isagogicis à fol. 373. atque omnes illi, Lutherani, qui subscripserunt Libro Concordiæ, ubi in ultima Repetitione & declaratione art. 8. de persona Christi dicitur, *Humanitatem Christi impostam fuisse in Essentiam Omnipotentiam Dei, & omnes Essentiales Proprietates Dei.*

XII. Probat 1. ex S. Scriptura ad Coloss. 2. v. 9. *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* Unde inferunt. Si omnis plenitudo Divinitatis est in corpore Christi, tum omnes ejus Perfectiones erunt. Sed verum est antecedens juxta S. Scripturam. Ergo &c. Ad Coloss. 3. v. 1. dicitur Christus *sedere ad dextram Patris,* quod & in symbolo Apostolico confitemur. Unde sic concludunt. Juxta quam Naturam Christus ad dextram Dei collocatus fuit, juxta eandem accepit dona verè divina & immensa, ac particeps factus est divinae Majestatis, Gloriæ, ac Potentiæ, cum Scriptura dexteram Dei per divinam potentiam, ac sessionem ad dextram Dei per divinum dominium describat. Atqui Christus secundum humanam Naturam ad dextram Dei collocatur. Ergo &c. Joan. 3. v. 34. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Eodem spectat illud ad Hebræos 1. v. 10. *Unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus.* Unde sic argumentantur: Si Christus plenitudine Spiritus Sancti unctus fuit, ac Spiritum Sanctum non ad mensuram accepit, sequitur dona verè divina &

infinita illi esse data, quia dari sine mensura necessario infert, donum illud, quod datur, verè esse infinitum. Sed verum est prius ex citatis & alijs locis Scripturæ: Ergo & consequens.

XIII. Probat 2. ex Patribus, qui non horrent carnem Christi dicere Deificatam, & Unionem hypostaticam cum unione corporis & animæ, cum ferro ignito &c. comparare. Cyprianus de Ascensione sic scribit: *attamen invisibilem Deum visibilem Filium recepisse ad dexteram suam, manifestum est, & humilitatem carnis nostræ throno judicario honoratam.*

XIV. Probat 3. hæc fundamentali ratione. Natura humana per Unionem hypostaticam verè dicitur à Subsistentia divina subsistens, à sanctitate sancta. Ergo ab Omnipotentia Omnipotens, ab Omniscientia Omniscia &c. Hoc argumentum sæpius repetit Gerhardus ratus istà instantiâ effugere se posse omnia tela Cardin. Bellarmini & Catholicorum Doctorum contra ipsum, sed frustra, ut videbimus.

XV. Errorem hunc luculenter rejicit doctrina nostra, seu Regula secunda de communicatione idiomatum priori parte allata. Ex illo etiam rectè sequi censet Card. Bellarminus Lib. 3. de Christo c. 1. Lutheranos, vel esse Eutychnianos, Nestorianos, vel monstrum ex utraque hæresi compositum parere. Si enim dixerint. Humanitati communicatas esse Perfectiones divinas essentialiter, erunt Eutychniani: Si accidentaliter Nestoriani, quia scilicet distinctæ erunt Personæ Dei & hominis, & una erit in alia per inhabitationem, & per accidens.

XVI. Ait Gerhardus ad hoc, dari tertium juxta ipsum Bellarminum c. 8. §. vera, nempe personaliter; quod enim ipse de unione asserit, idem nos dicimus de communicatione, quæ ex unione oritur, & hujus naturam sequitur. Verum Gerhardus nescire mihi videtur, quid dicat. Nam hoc communicari Personaliter. Vel primò est communicari personæ; hoc quidem verissimum est, quod personalitati Verbi communicentur Attributa & Perfectiones identicæ, adeoque essentialiter, nihil verò in præsentia ad rem facit. Vel secundò est communicari Humanitati Dona & Attributa divina verè, realiter, ita ut Natura humana jam verè, realiter, & intrinsecè sit Æterna Immensa & Omnipotens non minus, quam Natura divina; hoc verò nec essentialiter, nec accidentaliter fieri potest, sed merè chymericum est. Vel denique tertio est, illa Attributa divina vi Unionis personalis intrinsecè communicari humanitati; hoc quidem verum est juxta primam doctrinam ac Regulam nostram, quatenus verè in concreto de se invicem prædicari possunt; attramen falsum & absurdum, quod in abstracto realiter & intrinsecè sive essentialiter, sive personaliter, sive accidentaliter possint communicari. Profectò non magis Divinitas Humanitati, quam hæc illi communicari potest, ita ut dici queat: Divinitas est Humanitas, & vice versâ; quis autem etiam ex Adversarijs admitte hanc, quam dixi, similesque propositiones v. g. Verbum est Humanitas: Humanitas est Filia consubstantialis Patri? neminem reor equidem. At si verbum immediatè per Physicam Unionem communicatum Humanitati non facit hanc Filiam Dei Consubstantialem, quomodo Attributa, quæ non nisi mediante Spiritu communicantur, Humanitatem reddent Omnisciam, Omnipotentem? &c.

XVII. Unde idem error, ulterius rejicitur. Primò ex S. Scriptura, cui apertissimè repugnat, Christum secundum Humanam Naturam esse Deum, Personam divinam, esse Omnipotentem, Immensum, Omniscientem, esse prorsus Impassibilem, Immortalem, esse Rectorem, Gubernatorem mundi &c. Quæ tamen omnia luculenter inferuntur, si Christum secundum Humanam Naturam Dona & Attributiona diuina verè & realiter sunt communicata.

XVIII. Rejicitur secundò ex definitione Ecclesiæ in diversis Concilijs apud Bellarm. L. 3. c. 10. Nominatim in Concilio Basileensi sess. 2. damnatas inter alias legimus has propositiones Augustini de Roma: *Humana Natura assumpta à verbo ex unione personali est veraciter Deus Naturalis. Et dua Natura in Christo Humana & Divina equaliter diliguntur à Deo, & equaliter sunt diligibiles propter communem Personam.* Item: *Humana Natura in Christo est Persona Verbi;* quæ est ipsa Lutheranorum hæresis.

XIX. Rejicitur tertio ex Patribus, qui copiosè afferuntur à Bellarm: c. 14. optimum contra præsentem hæresim testimoniū videtur S. Hieronymi. in expositione Fidei ad Damasum, & habetur etiam Serm. 191. S. Augustini, de tempore: *illorum, inquit, execramur etiam blasphemiam, qui novo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis, omnia, quæ erant divinitatis, in hominem commigrasse: & rursus, quæ erant humanitatis, in Deum esse transfusa; ut, quod nulla unquam hæresis dicere ausa est, videatur hæc confusione utraque exinanita, substantia Deitatis scilicet & Humanitatis, & à proprio statu in alium esse commutata,*

XX. Rejicitur quartò ex ratione. Tum quia, quandocumque unum de altero per verbum est verè prædicatur, innuitur identitas ejus, quod prædicatur, cum eo, de quo prædicatur, vel secundum essentiam & formam, vel secundum suppositum aut subjectum, vel id, quod vicem suppositi aut subjecti subit, vel secundum materialem entitatem utriusque, ut Logici docent. Atqui in proposito, cum dicitur: *Humana Natura Christi est Deus, omnipotens, Omnisciens &c.* Nulla ejusmodi intervenit identitas inter subjectum, quod est Humanitas Christi, & prædicatum, quod est Deus Omnipotens, &c. Ergo impossibile est ejusmodi propositiones esse veras. Non obstat, Naturam divinam & humanam esse unum supposito; hæc enim unitas minimè sufficit ad mutuum de se invicem prædicationem duarum naturarum in abstracto, quantumvis eidem supposito insint. Tum quia nominatim, de Majestate Dei loquendo, ad eam spectat, ut ipsemet Deus per Essentiam habeat, imò ut essentialiter sit omnis perfectio, ut ostendunt T. T. in 1. P. S. Thomæ. Sed hoc de Humanitate Christi, ipsismet Adversarijs fatentibus, dici non potest. Ergo &c. Tum quia, ut argumentatur Bellarm. Lib. 3. c. 10. ex communicatione Idiomatum verè & reali, qualem Lutherani volunt, manifestè sequitur, duo esse in mundo Omnipotentia Immensa, Infinita, Deitatem scilicet & Humanitatem. Hoc autem est contra omnes scripturas, & symbolum Athanasij.

XXI. Respondet Gerhardus fol. 275. in hæc verba: eodem modo contra communicationem subsistentiæ Verbi à Bellarmino concessam aliquis posset arguari; ex communicatione Hypostaseos sequitur, duas esse hypostases in Christo, scilicet Deitatis, & Humanitatis. Hoc responsum repetit ad aliud argumentum Bellarmini loco cit: atque,

idem esse dicendū de Subsistentia Verbi comunicatâ Humanitati. Sed aperta est disparitas inter Subsistentiam Relativam & Attributiona absolutam. Nam impossibile est, Deum uniri intrinsicè creaturæ, quin perficiat formaliter creaturam. Atqui non perficit dando illi hanc vel illam denominationem peculiarem v. g. ubicati, cognoscentis &c. Ergo hunc tantum effectum formalem dat, qui est esse unitum intrinsicè Deo infinite perfecto. Probatur Min. si daret DEUS unam denominationem ex Attributionibus absolutis, daret etiam alias omnes, cum non sit major ratio unius, quàm alterius, adeoque faceret Deum per Essentiam, hoc est, Ens habens omnes perfectiones. Cum ergo fieri istud nequeat, dabit solum, ut dixi, esse unitum Deo. Et quia Humanitas capax est Subsistentiæ Relativæ, imò aliquam exigat, atque ad hoc, ut re ipsâ subsistat, non plus quam unionem cum illa requirit, hoc ipsò, quod sit unita Personalitati Verbi, in ea subsistit, & accepto sui complemento, in Verbo subsistit.

XXII. Præterea si Attributiona Dei absoluta ut Immensitas, Omnipotentia, Omniscientia communicarentur realiter, & intrinsicè Humanitati, tunc hæc fieret Immensa, Omnipotens, Æterna (aut potius inabstracto Immensitas, Omniscientia &c.) & sic revera essent duo immensa, ut Bellarmini argumentum probat. At hypostasis Verbi ita communicatur Humanitati, ut hæc ipsamet non fiat Hypostasis Verbi, sed tantum, ut per illam subsistat, ultimūq; complementum ab illa accipiat; unde manifestum est, non duplicari hæc communicatione hypostasin.

XXIII. Conqueritur valdè contra sequelas nostras Meno Hanneken, atque in Irenico suo fol. 669. tam Apologia & ipsius Libri Concordiæ, quàm omnium verorum Lutheranorum hanc summam esse mentem, ac sententiam: *Humana Natura non est subjectum Divina Majestatis, ita ut hæc in illa se reperiat, & Natura Humana in se Majestatem divinam possideat, sed ut per unionem personalem ad possessionem, usum, & exercitium Divina Majestatis & Attributionum perveniat, & exaltata sit.* Unde deinde pluribus ostendere conatur, nullam fieri commixtionem & confusionem Perfectionum Humanarum & Divinarum &c. Sed non habent Lutherani, cur contra nos conquerantur. Sic enim ex allatis ipsorum verbis argumentor: Illa Natura est ex se verè Divina, Immensa, Omnipotens, &c. quæ in se habet Divinitatem, Immenstatem, Omnipotentiam &c. & hæc ita in se, & per se exerit, ut idcirco Natura Humana verè & propriè loquendo, Omnipotens, Omniscia &c. dici possit. Atqui hoc verificatur & conceditur Naturæ Humanæ. Ergo &c. Maj: est certa, & inde patet, quod homo v. g. ex se sit rationalis; quia vim rationandi sive rationalitatem ita in se habet, & per se exerit, ut inde verè & propriè loquendo dici possit rationalis. Min. totidem fere verbis desumpta est ex Menone f. 670. ad initium. Ergo &c.

XXIV. Ulterius vel Æternitas aliaque Attributiona Divinitatis communicantur Humanitati realiter & intrinsicè, ut hæc verè ex se sit æterna, Immensa &c. Sicut Divinitas: vel communicantur tantum per gratiam, & humanitati conjunguntur illæsa: vel denique communicantur solum ad denominationem Æterni, Immensi &c. à Verbo æterno, cui Humanitas immediatè: Divinitati verò mediatè unita est. Si primum; evidentè statuuntur

tur duo Æterna, duo Immenſa &c. Humanitas ſcil. & Divinitas, & prior ſimul etiam temporalis, quod ſine dubio chymericum eſt: aut ex hiſce duobus in unum confuſis tertium monſtrum prodibit. Si ſecundum; cum proprietates humanæ non tribuantur divinitati ſequitur non eſſe mutua communicationem idiomatum, ſed tantum communitatem, quod eſt contra omnes Veteres, & præcipue contra Damasc. Lib. 3. c. 4. Taceo Lutheranos diſcedere à ſuo Luthero; qui aperte docuit, Divinitati concedenda eſſe, quæ de Paſſione Domini dicuntur. ſi denique tertium; tunc manus datur Catholicæ ſententiæ; quippe verifiſimum eſt, Attributa intrinſecè communicata Humanitati in concreto de ſe invicem prædicari poſſe. Argumenta in oppoſitum leiſſima ſunt. Itaque

XXV. Reſpondetur ad 1. probationem Adverſariorum ex Scripturis ad Coloff. 2. de tota plenitudine Divinitatis in Chriſto corporaliter inhabitante. Concedimus omnes Perfectiones divinas habitare in Corpore Chriſti. Sed negamus, inde ſequi, quod humanitas Chriſti ſit ubique; quia quedam Perfectiones divinæ tantum materialiter ſunt in Corpore Chriſti, & non formaliter, hoc eſt, non tribuunt ei effectum formalem; ſicuti Æternitas Dei etiam realiter eſt in Corpore Chriſti, & tamen corpus Chriſti non fuit æternum, cum in certo tempore primùm inceperit. Similiter Deus habitat in omnibus Sanctis ad Rom. 8. v. 9. non ideo homines ſancti ſunt Dei.

XXVI. Ad eodem Coloff. 3. Apoſtolus dicens, Chriſtum ſedere ad dextram Patris, potiùs contrarium probat. Si enim Chriſtus ſedet ad dextram. Ergo non eſt ad ſiniſtram. Ergo non ex omni parte illum æquat. Reſpon. igitur, Selliorem ad dexteram non ſignificare ſitum localem, cum Deus ſit incorporeus, & nullam habeat dextram, neque ſedeat, ſed ſignificare moralem dignitatem metaphorà ab hominibus mutuà; etenim ſi aliquem honorare volunt, dexterum illi v. g. in menſa locum aſſignant; ita Deus Pater Filium ſuum in celos evectum ad dextram ſuam collocavit, hoc eſt, ut ait Athanaſius, æqualem ſibi Majeſtate fecit, ſeu pari ſecum honore & majeſtate frui voluit, ſi de Divinitate loquamur. At ſi de ejus Humanitate intelligere velimus, ſicuti nonnulli Interpretes accipiunt, tunc ſeſſio ad dextram Patris non ſignificat æqualem dignitatè, ſed proximum poſt Deum, ſicut Mater filiorum Zebedæi Matth. 20. v. 20. petens filium ſuum ad dextram Chriſti collocari, non voluit; ut illi æqualis fieret, ſed inferior, licet proximus dignitate. Videri poteſt Suarez. tertia P. D. 51. ſect. 3. Quare Major ſyllogiſmi ex citatis locis ſcripturæ eſt aperte falſa; nec eam confirmat ratio connexionis, quam Gerhard. adjungit; Nam etſi dextra Dei ſit Inſinita, Immenſa &c. non propterea dominium creatum humanæque Chriſti naturæ collatum etiam in ſe eſt inſinitum immenſum &c. Et ſicuti per abſolutam etiam Dei Omnipotentiam quævis creatura incapax eſt Omnipotentiam divinam, ut mox dicemus, ita etiam aliorum Attributorum. De reliquo etiam ineptè fingitur ad gubernationem Chriſti, ut hominis, neceſſaria omni-præſentia localis; quaſi non exiſtens in omni cæli terræque loco non poſſit cognoscere & decernere de omnibus, quæ ſunt bene vel malè in cælo, in terra & infra terram.

XXVII. Joan. 3. & ad Hebr. 1. Senſum illorum verborum non eſſe, quaſi Deus Humanitati Chriſti ita communicarit Attributa Divinitatis inſinita, ut Humanitas verè eſſet æterna omnipotens &c. Sed Deum ſanctificare Naturam Chriſti humanam per inſinitam & increatam Verbiſanctitatem, non quidem tantam, quantam ipſi Perſonalitati verbi communicat, nempe per identitatem, ſed tantam, quantam eſt capax per Unionem ſcilicet Hypoſtaticam, quæ ſine dubio eſt minor communicatio, quam identitas: quoad dona verò creata, ut lumen gloriæ, gratiam ſanctificantem &c. communicata ſunt iſta Animæ Chriſti in tanta intentione, ut moraliter inſinita cenſeri debeant. Imò ſi inſinitum categorematicum creatum eſſet poſſibile, indubiè hæc dona creata inſinitam intentionis in anima Chriſti admittenda eſſent. Sed ex his omnibus nihil inferitur de reali communicatione divinarum Proprietatum in Naturam humanam, utpote, quæ ſimpliciter chymerica eſt.

XXVIII. In eundem modum intelligendum illud Matth. 11. v. 28. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, & Matth. 28. v. 18. *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terrâ*. Nam magis ſecundum Litteram hæc explicantur de potentia quadam creata ipſius Humanitatis Chriſti, eademque ſumma in omnes creaturas, non tamen independente, ſed divinæ potentiam subordinata; quamvis etiã intelligi poſſint de ipſamet omnipotentia divina, quam accepit Filius à Patre, tum ſecundum Naturam divinam per æternam generationem, tum etiam ſecundum Naturam Humanam non ita quidem, ut iſta formaliter ſit potens per illam; ſed ut per eandem ſubſiſtat in hypoſtaſi Verbi, ut ſupra dictum. Quare iterum negatur Maj. Syllog. ex hujusmodi Locis Sac. Scripturæ facta.

XXIX. Reſpondetur ad ſecundam probationem ex Patribus. Supra in doctrina ſeu regula IX. dictum fuiſſe, quosdam loquendi modos à P.P. uſurpatos piè eſſe explicandos. Quando igitur dicunt, Carnem Chriſti Deificam, minime volunt, hypoſtaſin Verbi identicè communicari Humanitati, ſicuti ipſi Verbo, ſed per Unionem Hypoſtaticam, ita ut Caro & Humanitas ipſa in ſe non realiter & intrinſecè recipiat Divinitatem, Omnipotentiam, cæteraque Attributa. Similitudines Unionis hypoſtaticæ cum unione corporis & animæ, cum ferro ignito &c. etſi Unionem Perſonalem utcumque declarent, nequaquam tamen omnimoda paritas inde inferitur, ut ineptè Kemnitius, Gerhardus, Hanneken ſibi imaginantur; imò eadem ſimilitudines manifeſte ſunt contra ipſos Adverſarios: quantumvis enim ignis intimè ferrum penetret, nunquam tamen erit verum dicere: ferrum urit, aut ignis eſt ferrum: item anima non communicat corpori ſuas proprietates, nec viciffim; ſicut enim corpus non intelligit, ita anima non eſurit.

XXX. S. Cyprianus minime nobis adverſatur, ſi enim etiam loquatur de divina Majeſtate, & judiciaria Potestate Dei, quæ Perſonæ, Chriſti ſecundum divinam Naturam competit, atque ipſi quoque Humanæ ejuſdem Naturæ communicata eſt, non tamen hoc factum, ut hæc Natura humana Omnipotens, Omnipræſens ſit &c. Sed ut & illa ſit in ſuo ſuppoſito divino, & ut per hæc divina ſubſiſtat Videri poteſt Bellarm. Lib. 3. de Chriſto, ubi cap. 14. oſtendit, omnes Patres eſſe pro doctrina

trina nostra Catholica: & cap. 10. nullum eidem adverfari.

XXXI. Respondetur 3. ad Rationem, quam vocant Adverfarij fundamentalem. Negando conſequentiam. Diſparitatem Scholaſtici varijs modis oftendunt, qui ſinguli abunde ſatisfacere queunt. Præ alijs placet, quem aſſert P. Marinus Eſparza Tom. 2. Theol. lib. 9. q. 27. Omnipotentiam, Immenſitatem, & hujusmodi prædicata Dei, imò & Intellectionem ac Voluntatem ex conceptu ſuo eſſe ultimam determinationem ad omnem ſimul effectum ſuum, qui in genere cauſæ formalis communicari poteſt. v. g. Intellectionem determinare potentiam cognofcivam, ut intelligat objectum tantâ extensione & claritate, quanta ineſt ipſi intellectui. Omnipotentiam conferre poteſtatem ad omnes abſolute poſſibiles effectus indifcriminatim producendos, vel omnino ad nullos. Immenſitatem facere formaliter, ut aliquid ſit ubique &c. unde ſic diſcurrere licet. Quidquid non poteſt capere omnem ſimul effectum formalem Intellectionis, Omnipotentia, Immenſitatis &c. illi ipſa hæc prædicata Dei in genere cauſæ formalis communicari non poſſunt. Sed Humanitas non poteſt capere omnem ſimul effectum Intellectionis, Omnipotentia, Immenſitatis &c. Ergo &c. Maj. conſtat ex eo, quod intellectio divina, ut diximus, ſit actualis determinatio ad omne objectum omni claritate cognofcendum: Omnipotentia divina ſit actualis determinatio ad omnia indiviſim producibilia; Immenſitas ſit actualis determinatio ad omne ſpatium præſentia replendum &c. Ergo non poſſunt magis aut minus determinare ad omne cognofcibile, ad omne producibile, ad omne ſpatium &c. Sed neque poſſunt determinare unum ad majus, alium ad minus cognofcibile, producibile, ſpatium &c. ſic enim jam non eſſent ultimæ determinationes, ſed ulterioribus formis determinandis opus foret. Min. habetur ex eſſentiali limitatione Humanitatis, ex qua in rem præſentem inferimus. Ergo non poteſt eadem Humanitas capere omnem ſimul effectum formalem. Non Intellectionis; alias cognofceret DEUM tantâ extensione & intentione, quantâ DEUS cognofceret ſeipſum, quæ ſequela eſt abſurda & damnata in Concilio Baſilienſi Seſſ. 22. Non Omnipotentia, quia nequit reddi potens ad producendum omnia poſſibilia, certe reddi nequit potis ad productionem ſui, cum ipſa ſit unum ex poſſibilibus Non Immenſitatis, quia Humanitas neque eſt, neque eſſe poteſt ubique, omniaque ſpatia ſua præſentia implere. Atque ſic de alijs prædicatis Dei diſcurrendum.

XXXII. Non autem eadem eſt ratio de Subſiſtentia & Sanctitate, ut tamen male ſupponitur ab Adverſarijs in ſua probatione. Nam ad effectum formalem Subſiſtentia aliud non requiritur, quàm ſubjectum capax illius, quod evadit ſubſiſtens, hoc ipſo quod per unionem prædictæ Subſiſtentia inexistat, & ſic ultimum ſui complementum accipiat. Cum igitur Humanitas ſit ſubſtantia, & ſubſiſtat per ſubſiſtentiam diſtinctam, ideo poteſt hæc à natura ſeparari, & ſi ſuppleatur per alienam, ſubſiſtat per hanc in alieno ſuppoſito; quippe ſubſiſtere in alio, non eſt plus, ſed potius minus, quàm ſubſiſtere in ſe. Ergo ſi Toſiſtere in ſe habetur per formam diſtinctam & ſeparabilem, facile conijci poteſt, quâ ratione per

unionem alienæ ſubſiſtentia, & in propoſito divina conferatur effectus formalis ſiſtentis in alio ac nulla in hac apparet difficultas.

XXXIII. Pari ratione Sanctitatis effectus formalis eſt fieri amabile, ideoque hujus capax eſt omnis natura intellectualis, cui illa inexistere poteſt vel per identitatem, vel per unionem; priori modo ſanctitas illa reddit naturam infinite Sanctam: poſteriori ſolum finite. Videatur cit. Auctor. Plura nos de hoc ipſo errore in refutatione ſequentis erroris dicemus, cum inter ſe ſint connexi. Itaque

XXXIV. *Error ſecundus.* Natura Chriſti Humana verè, ſubſtantialiter, ac perinde eſt ubique & omni præſens, atque ipſa Divinitas, cui eſt unita. Primus hujus erroris Auctor, teſte Bellarmino, eſt Jacobus Faber Stapulenſis, qui monſtroſam hanc ubiquitatem Pariſijs enixus eſt. Sed mox in cunis ſuffocatum fuiſſe infernalem hunc partum 15. Februarij Anno Chriſti 1626. in Collegio Sorbonæ, reſert ex authentico instrumento illius Facultatis Theologicae 29. Janu. Anno 1632. ad Ill. & Rev. Episcopum Auguſtanum dato Laurentius Forer in Libello, qui inſcribitur: *Teſtificatio Orbis Chriſtiani contra Ubiquitatem* anno 1658. e vulgato Dilingæ à fol. 221. Hunc ſecutus eſt in primis Lutherus, qui, eſt ubique jaçtet, ſe credere in Chriſto unam Perſonam & duas Naturas, tamen doctrina ejus aliud habet. Nam in Sermone de Sacramento Cænæ Domini Tom. 2. operum ejus fol. 112. *credimus*, inquit, *quod JESUS Chriſtus ſit juxta Humanitatem ſuper omnes creaturas collocatus, & omnia impleat.* Et paulò poſt: *& habeat omnia in ſua manu, & ſit ubique præſens.* Similia habet alibi. Huic conſenſerunt antiqui Lutherani, nominatim Gerhardus Lib. 2. part. 1. à fol. 286. Meno Hanneken in Ireneo ſuo à fol. 653. & Eraſmus Gruber Superintendens Ratiſbonenſis.

XXXV. Eſt tamen diſcrimen inter eos. Nam aliqui concedunt, Chriſtum ſecundum Naturam ſuam humanam æque eſſe ſubſtantialiter præſentem in lignis, lapidibus, folijs & omnibus alijs rebus, atque in pane, & vino Cænæ. Ita Lutherani Wirtenbergici, Lipſiaci, Wirtenbergici, Darmſtadienſes, & Haſſi, quos ſequuntur Gerhardus & Hanneken: Alij negant, ex quibus Hiſſeman in verbe conſcientia Calixtinae. fol. 48. ſcribit: quàmvis Chriſtus ſecundum Naturam ſuam humanam omnia repleat, quia tamen Sac. Scriptura non meminit creaturarum irrationalium, lapidum, lignorum &c. & Chriſtum in eis cum ſubſtantia corporis ſui præſentem non affirmat, ideo & nos ſimilibus locutionibus abſtinemus. Eraſmus Gruber apud Jodocum Kert de monſtroſa Ubiquitate fol. 8. eandem Ubiquitatem Humanitatis Chriſti in omnibus lapidibus, lignis &c. abijcit & craſſam ac ruſticam *Grob und Döſpiſch* vocat. Rurſus Wirtenbergici tenent, Chriſti Corpus ab ipſo puncto Conceptionis & deinceps ſemper in utroque ſtatu humilitatis & exaltationis exiſtiſſe ubique, ſeu omni præſens: Saxones verò & Haſſi, quos ſequuntur Gerhardus, Meno & alij volunt, Chriſti Humanam Naturam ſolum poſt ſtatum exaltationis ſic fuiſſe omnipræſentem: in ſtatu autem exinanitionis, licet Chriſtus in Humanitate ſua jam haberet omnipræſentiam, hanc tamen inhibuiſſe, ne ſe exereret, atque illa uſum non fuiſſe. Sunt etiam, qui diſtinguunt inter modum eſſendi ubique

que

ubique v. g. subiectivè, inhæsitivè, extensivè, physice, localiter, naturaliter, inextensivè, incircumscriptivè, illocaliter, substantiantialiter, divinè &c.

XXXVI. Isti omnes probant suam ubi-quitatem seu Omni-præsentiam Corporis Christi. *Primo* ex Scriptura: Matth. 18. v. 20. ait Christus: *Ubi sunt duo vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et cap. 28. v. 20. *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi.* Unde sic argumentantur. Ubiunque sunt aliqui Fideles, ibi est Christus juxta allatam Scripturam. Sed ubique sunt aliqui Fideles per orbem sparsi. Ergo ubique est Christus. Ad Ephes. 4. v. 10. dicit Paulus de Christo: *ascendit super omnes celos & implevit omnia.* Unde sic dicitur: Si Christus implet omnia, tunc est ubique. Sed implet omnia juxta cit. Script. Ergo est ubique. Ad Coloss. 3. v. 2. Christus dicitur ab Apostolo *sedere ad dextram Patris;* unde sic ratiocinantur: ubiunque est dextra Patris, ibi est Christus assidens. Atqui dextra Patris est ubique, cum Pater sit infinitus, & utique totus etiam quoad dextram. Ergo etiam Christus est ubique illi assidens. Hoc Script. testimonium valde urget Gerhard. fol. 294. ratus inde ostendi, Ubiquitatem Confessione Augustinæ fuisse insertam, quod negant non solum Catholici, sed etiam aliqui Lutherani.

XXXVII. Probant *Secundò*. Ratione multiplici. *Prima*. Quando duo sunt unita, ubiunque est unum, ibi etiam est alterum. Sed Christi Humanitas & Divinitas sunt unita. Ergo ubiunque est Divinitas, ibi etiam est Humanitas. Sed Divinitas est ubique, juxta illud Jerem. 33. v. 24. *Nunquid non Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus.* Ergo & Humanitas Christi est ubique. *Secundò*. Humanitati assumptæ per unionem hypostaticam Deus communicavit omnia sua idiomatica & proprietates, ut passim docent Patres & Theologi; imò ex Concilio Ephes. certum est, dari communicationem idiomatum, per quam verè & propriè dicatur *Deus est homo, & Homo est Deus.* Atqui Ubiquitas est quoddam Idioma & Proprietas Dei. Ergo etiam hanc Deus Humanitati communicavit. *Tertio*. Si Christus ubique est homo, tunc ubique est ejus Humanitas, quia homo non potest esse sine humanitate. Sed Christus ubique est homo, cum sit propositio essentialis, que ubique verificatur. Ergo ubique est ejus Humanitas. *Quarta*. Si Christi Humanitas non est omnipræfens & ubique, sequitur Christum non habere omnia, quæ ad officium Summi Sacerdotis, Regis, Judicis, & Capitis Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis requiruntur; omnis enim potestas, quam Christus sibi quæ homini datam esse in cælo & in terra asseruit, est illi ad hoc officium necessaria. Ergo etiam Omnipræfentia, quæ, possit omnibus rebus adesse, & illas dirigere, disponere, & gubernare est illi necessaria. *Quinta* denique. Bellarm. Lib. 3. de Eucharistia. à cap. 1. usque ad 9. asserit realem præsentiam corporis Christi in S. Eucharistia simul & semel in pluribus locis positam. Ex qua hypothesi sic arguit Gerhard. fol. 298. Si in locis omnibus, ubi Eucharistia celebratur, Corpus Christi verè & realiter præfens est, nec tamen vel extenditur, vel multiplicatur, vel substantia ejus destruitur &c. utique etiam vi unionis personalis & Sessionis ad dextram Dei in omnibus locis ci-

tra expansionem, multiplicationem &c. præfens esse potest. Sed verum prius est. Ergo &c.

XXXVIII. Demum & *Tertio* probant suum errorem ex absurdo, quasi ex nostra sententia consequens esset, Christum non esse hominem in actu primo: item alias etiam res esse unitas hypostaticè cum Verbo: ac Christum pro puro Homine nos habere.

XXXIX. Errorem hunc omnipræfentiæ Corporis Christi, seu ubi-quitatis (à qua isti sectarij *Ubiquistæ* dicuntur) rejiciunt non omnes modò Catholici, itemque Calvinistæ, sed etiam ex Lutheranis Halmstadienses, Inferiores Saxones, Dani Silesitæ, Norinbergenses, & quotquot Libro Concordiæ nomen dare recusarunt, quibus id dogma portentosum & cyclopicum non tam hæresis, quam fatuitas videtur, ut vel maximè hic verum sit illud: *nulla fatuitas sine amore, nulla fatuitas sine patrone.* Certè Doctor Calixtus, licet Lutheranus, apertè tamen pronuntiat: *qui dicit, Christum esse secundum naturam humanam vi personalis unionis omnipræfentem, omnipotentem &c. Ille est Eutyochianus: Videtur monstrum hoc figmentum ubi-quitatis ex mera malitia excogitatum, ut præsentia Christi realis defenderetur, & tamen Catholicorum Transubstantiatio eluderetur.*

XI. In primis igitur illaudabile hoc dogma repugnat apertissimis Scripturis Matth. cap. 28. v. 5. & 6. *scio, quod Jesum Crucifixum queritis, non est hic, surrexit enim, sicut dixit: venite & videte locum, ubi positus erat Dominus.* Ibidem v. 7. *precedet vos in Galileam.* Et v. 9. *JESUS occurrit illis.* v. 18. *Accedens Jesus locutus est eis.* Marc. 16. v. 6. & 7. *Jesum queritis Nazaranum Crucifixum, surrexit non est hic, & precedet vos in Galileam.* Item ibidem v. 19. *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in Cælum, & sedit ad dextram Dei,* Luc. cap. 24. v. 6. *non est hic, sed surrexit.* Et ibidem v. 30. *Et intravit cum illis.* Rursus ibidem v. 52. *dum benediceret eis, recessit ab eis, & ferebatur in Cælum.* Joan. c. II. v. 15. *gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum.* Et c. 14. v. 2. & 3. *vado parare vobis locum, & iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, & vos sitis.* Rursus cap. 20. v. 26. *venit Jesus januis clausis, & stetit in medio.* Act. 1. v. 9. *videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, cumq; intuerentur in Cælum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis, & dixerunt: viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cælum; hic Jesus, qui assumptus est in Cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum.* Unde sic argumentator: quicumque it, abit, venit, intrat, accedit, recedit, ascendit, descendit, fertur in altum, non est hic &c. ille non est ubique & omnipræfens. Sed Christus secundum Humanitatem venit, abit, &c. Ergo non est ubique & omnipræfens. Major est certè ex communi omnium hominum sensu, qui per vocabula prædicta intelligunt motum localem ab uno ad aliud spatium, ita ut prius in illo fuerit: & nondum in isto, & postea in hoc sit, & in illo non amplius. Min. patet ex allatis Testim. Scripturæ, quæ tota semper Christiana Antiquitas non nisi de motu locali proprio est interpretata. Sed de hoc ipso motu locali mox iterum.

XLI. Repugnat secundò hæc ubi-quitatis chymera Sanctis Patribus. Hieron. in cap. 10. Osee: *Liberavit omnes Dominus & redemit in Passionem Crucis, & effusione sanguinis sui, quando anima ejus descendit in infer-*

in infernum, & caro ejus non vidit corruptionem, S. Ambrosius L. de Incarn. Dominicæ Sacram: & corpus quidem ejus jacebat in tumulo, remissionem in inferno positus soluta mortis lege donabat, S. August. in Epist. 57. ad Dardanum: *Christus sic venturus est, illa angelicâ voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem carnis forma, atq; substantia, cui profecto immortalitatem dedijt, naturam non abstulit, secundum hanc formam non est putandus utiq; diffusus; cavendum est enim, ne ita divinitatem astruamus hominis, ne veritatem corporis auferamus*, S. Gregor. Hom. 8. in Ezech. Is qui divinitate est ubiq;, carne ad cœlestia ascendit. & Hom. 9. in Evang. *quis est homo, qui peregrè proficiscitur, nisi Redemptor noster, qui in ea carne, quam assumpserat, abiit in cœlum.* Hi quatuor maximi Ecclesiæ Latinæ doctores nobis sufficiant. Ceteros Patres ac Doctores per singula sæcula adducit P. Laurentius Forer Lib. cit. à fol. 69. usque ad 239. ostenditque, omnes consentire scriptores & apertè tenere, Christum secundum Humanitatem nec esse, nec fuisse Omnipræsentem seu ubique.

XLII. Respondent ad hoc Hæretici, Christum non ubique fuisse, aut esse visibilem, licet ubiq; sit fueritque saltem invisibilis. Sed contra est. Negatio ex regula Logicæ est malignantis naturæ, & negat omnia post se posita. Ergo negatio præsentia excludit omnem præsentiam etiam invisibilem; alioquin possemus absolute negare, Christum esse in Eucharistia, quia non est ibi visibilis. Unde mera est deceptio plebis, dum desectunt Prædicantes, & detorquent quæstionem ad modum existendi, obganniendo: non esse ubique extensivè, aut inbesivè. Nam ubi res negatur; stulta est disputatio de modo rei: & negatâ præsentia generatim, tollitur etiam modus præsentia speciatim: Quare urgendo argumentum prius in Script. & PP. assertum.

XLIII. Repugnat tertio hoc ubiquitatis portentum motui locali, imò omnem omnino motum localem tollit; siquidem non potest aliquid moveri in aliquem locum, in quo prius est; & consequenter ubiquitas evertit multa mysteria Fidei, quæ sine motu locali verificari non possunt. v. g. quod *Christus natus sit ex Maria Virgine per egressum ex utero ejus: item quod fuerit mortuus per separationem animæ à Corpore: quod descenderit ad Inferos: quod inde reversus surrexerit: quod ascenderit ad Cœlum, quod rursus venturus sit judicare vivos & mortuos &c.*

XLIV. Occurrunt hæretici dicendo, hujusmodi motus non fuisse reales, sed tantum apparentes, quod Christus in aliquo loco repente visibilis apparuerit, ubi ante erat invisibilis, quasi per motum eò delatus sunt. In symbolo Apostolorum dicitur, *Filius Dei descendisse de Cœlo in uterum Virginis*, quò tamen non fuit localiter motus, sed tantum sensibili motu apparuerit, & suam præsentiam ostenderit. Si istes, hanc rationem instantis motus non satisfacere Morti ac Resurrectioni Christi, cum mors requirat non tantum apparentem, sed realem animæ separationem, & realem iterum conjunctionem. Dicent, ad mortem sufficere dissolutionem unionis cum corpore, quamvis anima maneat realiter præfens corpori, sicuti constat ex historijs quorundam resuscitatorum, qui facti sunt tempore mortis animas suas semper inter cadaver latuisse. Quare realiter urgendum est hoc Argumentum, scil. ex eo, quod hæc explicatio verba Scripturæ ad impropriam

motus apparentis detorqueat sine ulla causa, & sic evartet omnem certitudinem Scripturæ. Alia est ratio de descensu Dei in uterum Virginis; hic enim cogit necessitas adimproprum motum intelligendum, cum Deus propriè sit immobilis.

XLV. Repugnat quarto hæc ubiquitatis novitas ipsi rationi. Nam omnipræsentia Humanitatis Christi vel est eadem, quæ est omnipræsentia Divinitatis Christi, vel non est eadem? Neutrum dici potest. Ergo Humanitas Christi non habet omnipræsentiam. Non primum. Aliàs planissimè sequeretur, Humanitatem Christi esse omnipotentem, omnisciam &c. & uno verbo ipsum Deum; cum non possit esse ratio, ob quam habere possit Immenfitatem, & non omnes alias perfectiones divinas, imò ipsam divinitatem, ex qua evadat Deus. Nam qui habet ipsissimas Dei perfectiones & proprietates, nempe Omnipotentiam, Omnipræsentiam Omniscientiam, imò & ipsam Deitatem, ipse est Deus; sicuti habens perfectiones & ipsissimas proprietates humanæ naturæ est homo. Sed humanitas habet Omnipotentiam & Essentiales Dei proprietates, ut concedunt Lutherani cum Libro Concordiæ in Repetitione & declaratione art. 8. de Persona Christi. Ergo, &c.

XLVI. Non etiam secundum. Nam si Omnipræsentia humanitatis est distincta ab omnipræsentia Dei, sequitur primò sublatam esse communicationem idiomatum, prout eam Lutherus, & Liber concordia explanant; afferunt enim isti, *Humanitatem Christi propter unionem personalem accepisse proprietates Dei, & Omnipræsentiam in statu præsertim Exaltationis se effudisse.* Secundò. Omnipræsentiam Humanitatis Christi esse aliam ab Omnipræsentia Dei, adeoque Humanitatem Christi non esse positam in essentialibus proprietatibus Dei. Tertio esse duas omnipræsentias; unam Humanitatis, alteram Deitatis, adeoque duas Naturas Omnipræsentis. Quarto. Humanitatis Omnipræsentiam esse creatam & finitam; quippe Deus omnia à se distincta disposuit in mensura numero & pondere. Sapient. II. v. 22. hoc est, finita & limitata. Quintò. Omnipræsentiam Humanitatis hoc ipso non amplius esse omnipræsentiam, cum nullum creatum finitum & limitatum implere & adæquare possit spatium infinitum, & illimitatum. Sextò Christum non esse in statu exaltationis, cum non habeat communicatam sibi Omnipræsentiam Majestatis divinæ. Septimò Librum Concordiæ falsum dicere, dum astruit, *Humanitatem Christi habere Omnipræsentiam ipsius Dei*: atque ejusdem falsitatis arguendos esse omnes, qui illi subscriperunt. Vanum autem est, quod dicunt hæretici, Humanitatem Christi esse quidem Omnipræsentem, sed non ut Deitatem, sed esse discrimen in modo. Nam cum Humanitas in Essentialibus DEI Omnipræsentiam sit posita, adeoque existendi ubique unus idemque sit modus, quomodo potest esse discrimen in modo?

XLVII. Repugnat denique quinto recens hic Ubiquitatis partus Confess. Augustanæ, atque hanc essentialiter immutat. quod sic demonstro. Quicumque tenet, Christum secundum Humanitatem suam esse ubique præsentem substantialiter, hoc est, in omnibus lignis, lapidibus folijs &c. Facit substantialem mutationem in Confessione Augustana. Atqui hoc faciunt Ubiquistæ. Ergo faciunt substantialem mutationem. Majorem attestantur Augustus Elector Saxonie, qui,  
ut re-

ut referunt Hospinianus, & Huterus, Anno 1664. Ubiquitatem Corporis Christi velut *rem incognitam novam peregrinam & periculosam* in suis provincijs, templis, & Scholis recipere fuit tergiversatus. Item alij Imperij Principes, Civitates, & Theologi, quos allegat Jodocus Kedd. in Tract. cui Titulus: *Monstrum Ubiquitatis* fol. 15. Minorem demonstrat Laurentius Forer in Bello Ubiquitativo, & alijs suis hac de re vulgatis Libris; Manifestum quoque est; ubiquitatem esse fundamentalem causam discordiarum. Legantur Scripta Doctorum Calixti & Hülsemanni, præsertim in verme Conscientiæ Calixtinæ cap. 2. Hoc ipsum etiam produunt argumenta Ubiquitarum de Conjunctione duarum Naturarum: & textus Sac. Scripturæ, quos (licet malè) allegant ad Ubiquitatem suam asserendam, & stabilendam.

XLVIII. Confirmatur ultima repugnantia. Docet Confessio Augustana in Sacramento Eucharistiæ Articulo 10. Christum in tot millibus locorum, ubi cæna celebratur, & dispensatur Corpus & Sanguis Eiusdem, esse verè præsentem sub speciebus panis & vini; adeoque discrimen esse inter Sacramentum & cibos prophanos &c. At si Christus perinde est in omnibus rebus, atque in Sacramento, tum nullum erit discrimen inter Sacramentum, & cibos prophanos, qui proinde pari ratione & mundâ conscientia erunt sumendi sub gravi culpâ & panâ, quod est absurdum. Ergo &c. Respondent adhuc esse discrimen inter Sacramentum & omnes cibos prophanos quoad effectum; quia Christus non ita confert gratiam per cibos prophanos, sicut per Eucharistiam. Sed quæro, quæ sit illa gratia Sacramenti? Si velint consequenter loqui juxta suam doctrinam de justificatione, non aliud poterunt dicere, quàm quod sumptione Eucharistiæ excitetur fides justificans. At hoc ipsum fieri potest in prophana comestione, si cogitetur & credatur ibi Christus adesse, sicuti in qualibet creatura potest apprehendi Dei latentis præsentia.

XLIX. Cæterum quando Hülseman, Gruber, Gerhardus, Hanneken & alij Ubiquitatis Defensores ajunt, Christum secundum Naturam suam humanam esse quidem præsentem substantialiter, atamem *nec extensive, nec intensive, nec sacramentaliter* &c. nec denique in omnibus lignis, lapidibus &c. sicuti Deus est ubique & in omnibus, proorsus non video, quid velint; omninò etiam mihi persuadeo, ipsosmet non scire, quid dicant. Nam Divinitas est unita Humanitati extensive existenti in primo puncto Conceptionis: & ab illo tempore nunquam est disjuncta, aut aliqua in unione facta immutatio. Quomodo ergo Humanitas seu humana Christi Natura non existit proorsus ubique in omnibus folijs, herbis &c. Sicuti in omnibus & ubique est Deus? Dicere autem in statu exinanitionis, Christum inhiuisse à puncto Conceptionis usque ad statum gloriæ Omnipræsentiam, ne in Humanitate prorumperet, se seque proderet, perinde est, ac si quis diceret, se habere bis quatuor, nolle autem dicere aut sciri, se habere octo. Quomodo non existit Humanitas Christi extensive, sicuti existebat in utero materno, quando primitus facta est unio: & inhiève, non per modum accidentis inhiendo, sed per suam substantiam omnèsque corporis partes intimè omnibus inessendo? Quomodo Christus non existit in Eucharistia ante sum-

ptionem, imò in omnibus alijs panibus & vini?

L. Rursus si Christus est substantialiter ubique, & replet omnia. Quomodo non evadit infinitus? Item si existit extensive Deitati unitus, Quomodo est ubique? revera Caput Christi in utero materno non erat, ubi fuit pes; quia ibi nulla fuit penetratio? Si etiam inhiève inest omnibus secundum omnes sui partes. Quomodo est, manetque unitus Divinitati eo modo, quo fuit in utero materno; quia planè ibi habebat extensionem, ut recens dixi.

LI. Si denique Christus secundum Humanitatem ante sumptionem est ubique etiam in Eucharistia, & in omni pane & vino. Quomodo potest sumi? quippe jam est in ore, gutture, & stomacho; fortè etiam in hoc est adhuc panis & vinum crudum, & in his quoque Christus? Ecce quomodo Sectarij, dum Catholicæ Fidei lumen deserunt, in cogitationibus suis evanescant, & crassissimarum ignorantiarum tenebris ubique involvantur, atque impingant, quocumque se vertant. Videri potest P. Jodoci Kedd Monstrum Ubiquitatis, & ejusdem Liber, cui Titulus: *Scientia & Honor vni Chr. Studiosorum Doctrina & Honor.*

LII. Argumenta ab hæreticis pro Ubiquitate allata nihil vincunt. Quod ad Scripturas attinet. 1. Locus Mathæi de jugi præsentia Christi cum Fidelibus, non probat, Christum esse ubique, sed tantum in illis locis, ubi sunt Fideles. Deinde præsentia Christi cum fidelibus non est localis, sed moralis; significat enim, Christum semper illorum curam habiturum, eoque suâ præsentia directurum, ut exponit Tirinus, atque etiam inde patet, quia Christus promisit illis verbis, se speciali modo cum amicis futurum. At si localiter ubique esset, non magis esset cum suis amicis, quàm inimicis; sicut Deus Genes. 26. v. 24. dixit: ad Abraham: *noli timere, quia ego tecum sum.*

LIII. Alter locus Apost. ad Ephes. 4. de Ascensione Christi in Cælum, ut impleret omnia. In primis retorquetur; Nam si Christus ascendit in Cælum, tunc prius non fuit in Cælo, ad quod implendum ascendit in Cælum, sicut in cruce sitiens petivit haustum, ut impleretur desiderium prophetiæ Davidis Psal. 68. v. 22. *in siti mea potaverunt me aceto*, ut advertit S. Joan. c. 19. v. 28. Deinde, licet concederemus, Apostolum de omnibus locis implendis fuisse locutum, tamen intelligenda non essent omnia loca simul, sicuti requirit Ubiquitas, sed successive, ut docent Theophylactus, Oecumenius, Bernard. & alij apud Tirinum. Nam Primo fuit in terris. Inde descendit ad inferos. Ex inferis rursus reversus est in terram. Tandem per aërem ascendit ad cælos, & sic invisit omnia loca, sumendo vocem omnia non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, ut loquuntur Logici, id est, omnis generis loca pervasit, licet non singulas generum partes, sicut aliquis dicitur peragrassè omnes regiones, licet non omnes vicos, pagos, oppida &c. lustrarit, sed præcipuas urbes; unde non concluditur Ubiquitas Christi in omnibus particularibus locis totius mundi. Demum Patres Chrysof. & Hierony. volunt, dici Christum suo ascensu implevisse omnia, hoc est, omnes prophetias & figuras, quæ de hoc sensu extabant in Script. Addunt S. Ambros. & D. Thom. Christum imple-

implevisse omnia, id est, totam Ecclesiam, imò mundum universum suâ magnificentiâ; scilicet omnis generis donis, signis, gratijs &c. item splendore Nominis sui, &c.

LIV. Tertius locus Apostoli ad Coloss. dicentis, Christum sedere ad Dextram Patris abunde supra §. XV. est explanatus; solum addo, licet daremus istam Sessionem pro situ locali accipiendam esse, tamen inde non probaretur, Christum esse ubique, quantumvis dextra Dei ubique existat. Nam ad hanc Sessionem sufficit, ut in aliquo loco dextræ Dei adjunctus sit, sicuti Christi Corpus in hostia nostri Templi insidet ciborio, non item in templo Sancti Petri. Quare negatur Major Syllogismi, & longè alienissimum est à veritate, Ubiquitatem Confessionis Augustinæ in hoc Arti. de Sessione Christi ad dextram Patris fuisse insertam; etenim nec in triginta sequentibus annis post Confessionem Carolo V. Imperatori oblatam ulla fuit mentio facta Ubiquitatis inter Theologos tam antiquæ Romanæ Religionis, quam novæ Lutheranæ Sæctæ, donec Brentius sepultam oblivione istam Lutheri hæresin rursus excitavit.

L V. Quod ad Rationes attinet. *Prima* ex unionem Humanitatis Christi cum Divinitate desumptæ negamus Majorem, quæ sic habet: quancumque duo sunt unita, tunc ubi est unum illorum, etiam alterum esse oportet, &c. Cujus falsitas manifestè apparet in Natura humana; etenim caput est unitum animæ, & tamen non est ubique caput, ubi est anima. Sol quoque unitus est cælo, gemma annulo, non tamen idcirco sol est, ubicunque cælum est, non gemma, ubicunque est annulus. Quare ut duo inter se dicantur non distare, nequaquam requiritur, ut unum sit, ubicunque est alterum, sed tantum, ut alicubi sit; etenim si nusquam simul essent, tunc inter se distarent. Loquendo igitur de Immensitate; ista non communicat suum effectum formalem Humanitati hoc ipso, quod ei sit unita. Nam quando una entitas essentialiter definitivè unitur alteri, non eò ipso vi talis unionis debet statim alterum extremum existere in toto spatio totaliter, sed satis est, existere in aliqua parte illius spatij, ut recens diximus de homine, casus pes est unitus animæ, & tamen non existit pes, ubicunque anima. Ergo eodem modo, non hoc ipso Humanitas, quod unitur Immensitati Dei, debet existere, ubicunque existit Immensitas. Ergo ad hoc jam opus esset, ut determinaretur per aliquid superadditum, ut cœxisteret Immensitati non potius in hoc, quam illo spatio. Adeoque ab hoc ultimo superaddito, ut pote ultima determinatione acciperet Humanitas effectum formalem ubicati. Quare etiam si possibilis esset ubicatio creata essentialiter immensa, & per hanc determinaretur Humanitas ad cœxistendum Immensitati ubique, non propterea haberet hunc effectum formalem ab ipsa Immensitate formaliter, sed ab illa entitate creata ultimò determinante. Ergo Immensitas non potest per se formaliter communicare suum effectum formalem Humanitati, nec adæquatè nec inadæquatè.

LVI. Dicent Ubiquistæ, si argumentum hoc nihil valet, tum Trid. sess. 13. c. 3. male probavit, totum Christum esse in qualibet specie propter unionem cum Divinitate; etenim pari modo responderi potest, unionem non importare cœxistentiam in loco. Resp. disparem esse rationem. Nam interdum ex duobus unitis unum pendet, ab al-

tero, & tunc illud dependens, ubicunque est, ibi & alterum, à quo dependet, esse oportet, sed non vicissim. Sicuti homo non potest esse sine aëre per respirationem attrahendo: aër verò bene potest esse sine homine; proinde ubicunque est homo, ibi debet esse aër; non autem vicissim, ubicunque est aër, ibi debet esse homo. Similiter Humanitas Christi & divinitas ita sunt unitæ, ut humanitas pendeat à Deo, tanquam ab hypostasi terminante: non è contra. Quare ubicunque est Humanitas Christi, sicuti est in Eucharistia, ibi oportet esse Divinitatem: non è contrario, ubi est Deus, oportet esse Humanitatem. Trid. igitur Concilium bene usum est illo fundamento unionis: hæretici autem male.

L VII. *Alteræ Ratio* ex Communicatione Attributorum & Idiomatum desumpta. Inprimis retorqueri potest. Nam si Divinitas per unionem Hypostaticam Christo suas proprietates communicavit, tum vicissim Humanitas suas proprietates communicavit Divinitati Christi, & consequenter, sicut Humanitas Christi est creata, finita, visibilis, etiam Divinitas erit talis, quod nec ipsi Adversarij concesserint. Deinde si omnia, quæ cum Divinitate identificantur, Christo sunt communicata, tunc Christus non solum fuit Filius Dei, sed etiam Pater, & Spiritus S. quia tota Trinitas cum Divinitate identificantur. Demum etsi per communicationem Idiomatum, quæ dicuntur de Deo, dici possint de homine, viceq; versâ in concreto: non tamen, quæ conveniunt Naturæ Divinæ, dici possunt de Humanâ in abstracto, aut è contra; cum enim sint realiter distinctæ Naturæ, habeantq; proprietates realiter distinctas, non nisi falsò dici potest, unam esse alteram, aut quod prædicatur de unâ, alteri competere. Quamvis igitur per unitatem suppositi subsistentis in Natura Divina & Humana rectè dicamus: & Deus est Homo: & Homo est Deus; item Deus est Passibilis: & Homo impassibilis; Christus est ubique, scilicet quoad divinitatem, non tamen dici potest, Divinitas est Humanitas, est Passibilis, aut Humanitas est Divinitas, impassibilis, Christus quoad humanitatem est ubique, &c.

L VIII. Dicent Ubiquistæ. Deus est Omnipotens & omnipræsens. Homo in Christo factus est Deus. Ergo homo in Deo factus est Omnipræsens. Respon. si Homo in Minore sumatur pro persona, falsam esse Minorem; quia persona in Christo est Divina. Atqui hæc non est facta Deus per Incarnationem, sed jam antea ab æterno erat Deus. Si verò sumatur pro humana Natura, veram esse propositionem in hoc sensu: Humana Natura assumpta est à Verbo, & huic personaliter unita; quâ ratione verissimè factum est, ut Homo esset Deus; quia Persona illa est Deus, in qua humana Natura subsistit, sed inde nihil habent emolumentum Ubiquistæ.

LIX. *Tertiæ Rationis* distinguitur Major. Si Christus sumitur pro supposito solum divino, negatur sequela Majoris: si accipitur proroto composito, conceditur sequela Majoris. Sed in istâ acceptione pro toto scilicet composito, negatur Min. & Consequentia. Itaque Christus diversimodè sumitur. Aliquando pro solo supposito seu persona Divina, ut in Epist. ad Hebr. c. 13. v. 8. *Iesus Christus heri & hodie ipse & in sæcula.* Et Joan. 8. v. 18. Ubi Christus de se ait: *antequam Abraham fieret, Ego sum.* Aliquando verò accipitur pro toto composito,

firo, seu conflat ex persona Divina & Humana Natura, ut in symbolo Athanasij: *Sicut omnia rationalia & caro unus est homo, ita Deus & Homo Unus est Christus.* Si ergo propositio hæc: Christus est ubiq; Homo, ita sumatur, ut Christus persona Divina, & particula ubiq; se habeat ex parte subjecti, vera est propositio, & hunc sensum facit: Christus, quâ Deus, ubique existens est Homo; attamen sic non habet ubiq; Humanitatem existentem: Si vero in eadem propositione Christus accipiatur pro composito utriusque Naturæ, falsa est propositio, & de subjecto non supponente; quia hunc facit sensum: Christus Deus & Homo ubiq; habet Humanitatem; siquidem Christus Deus & Homo sive Deus cum Humana Natura nec est ubique, nec fuit ubique, & consequenter non habet ubique Humanitatem.

LX. Inferent. Ergo Christus non est ubique Christus, hoc est, Deus & Homo. Concedo illatum, quia nihil prorsus in eo latet absurdi, cum neque Verbum seu Dei Filius sit ubiq; Deus & Homo, sicuti non fuit semper Deus & Homo: neq; Deus & homo, sive Deus cum Natura Humana sit ubiq; Deus & Homo, quia non existit ubique Deus cum humana Natura, Videatur D. Thom. in 3. distinct. 22. art. 2. In prædictum modum loquuntur Magister Distinct. cit. & cæteri Theologi, dum dicunt, *Christus est totus ubiq;*, sed non totum; dicere volunt, Christus totus est ubique, quia persona divina tota est ubique: At non totum Christi est ubique, quia altera naturarum, humana scilicet, non est ubique; quem sensum clarissime exprimit D. Bonavent. in cit. locum Magiltri q. 2. relatus apud Bellar. L. 3. c. 19.

LXI. Quarta Ratio. Probationis ostendit, nimis abjectè sentire Ubiquitas de Humanitate Christi, dum istum, quâ homo est, & secundum Humanitatem negant, regere posse Ecclesiam sine monstruoso hoc ubiquitatis figmento; quasi verò nihil sciat Christus, nisi quæ corpore præsens vider, audit, manibus contrahat? quasi verò Judex, Rex, summus Sacerdos esse nequeat, nisi per incretam Dei judicariam potestatem, nullisq; vivendi, vivificandi, & salvandi potestate pollere possit, nisi per infinitam illam vim, quam Deus ad vivificandum & salvandum habet? Potest Christus intelligentiâ sua creatâ, Spiritu, & cogitationibus adesse in toto mundo omnibus rebus, quas gubernat, regit, & judicat ex Dei dono, & creato lumine, sicuti olim Cor Elisæi 4. Reg. 5. v. 26. præsens erat, quando reversus est Naamon de curru suo in occursum Giezi, &c.

LXII. Quinta deniq; ratio per se corrui glutine carens. Posse divinitus unum idemque corpus sive per actionem reproductivam, sive adductivam poni in pluribus locis, suo loco de Eucharistiæ Sacramento ostendemus. An autem in immensum replicari possit Corpus Christi, sive aliud quodcunque salvâ fidei & charitate in scholis disceptatur. Mihi semper probabilior visa est sententia negativa, quam in Philosophia & Theologia tenui; & licet affirmaretur, nihil tamen subsidij ubiquitati adveniret, cum hæc fingatur à suis patronis esse Attributum Divinum: illa autem replicatio immensa non item.


LXIII. Tertia Probatio ex absurdo est vanissima, & ex futili fundamento hausta, quasi verò modus ille, quo Verbum Humanam Naturam sustentat, consistat tantum in operatione, aut esse-

tionem, quâ Natura humana in suo esse conservetur, & non potius Verbum se ipsum per modum complementi comunicando intrinsecè ac formaliter Naturam sustentet, quâ utiq; ratione qualvis alias res non complet, ac sustentat. Ad calumniam, quasi nos Romano-Catholici Christum pro puro Homine haberemus, & Nestoriani ac Machometani essemus, &c. non est, cur respondeamus, cum suâ sponte utpote ex vano hausta concidat. Et quid prodest, impudentissimis Ubiquistis, Nestoriana hereseos nomine eorum lacerare opinionem, quorum pyssimâ non possunt convellere fidem; quâ, quantum Nestorius à veritate discessit, Deitatem verbi ab assumpti Hominis substantia separando, tantum à recto tramite etiam isti desciscant?

LXIV. Ad finem hujus controversiæ de communicatione Idiomatum Corolarij loco atteximus manifestissimas istas sequelas ex hæctenus dictis depromptas. I. Rectè dici à Georgio Calixto Professore Helmstertensi, ubiquitatem Lutheranorum esse *illaudabile Dogma*, utpote non solum S. Scripturæ, Doctrinæ S. Ecclesiæ, SS. Patrum per quinque prima secula, sed etiam Augustinæ confessioni repugnans, & potissimos Apostolici symboli articulos evertens. II. Eandem ubiquitatem à Danis, inferioribus Saxonibus, & nonnullis alijs Lutheranis non immeritò censeri *Eutybianissimum*, quomodo enim Humanitas Christi in Essentiam Omnipotentis Dei, & (verbis loquor Ubiquistarum) in *Essentiales Proprietates Dei* poni potest absque confusione divinæ & humanæ Naturæ. III. Ubiquitas manifestam contradictionem admittit, dum Christum secundum Humanam Naturam jam ponunt Creaturam, quâ reverà creata & facta est: jam non Creaturam, quia Deus est Creator est Omnipotens, Immenus, &c. IV. Errorem Lutheranorum ex crassa ignorantia communicationis Idiomatum oriri, ut omnes Doctores Catholici notant, nominatim Becanus in Manuali Lib. 2. c. 1. n. 13. atquè idcirco nos de illa Idiomatum communicatione catholicam veramq; doctrinam præmissimus, ex qua facilè omnis hallucinatio sectariorum deprehendi, & rejici possit. V. Demum hoc ubiquitatis monstrum adeo esse turpe, atque abominabile, ut quilibet Lutheranus meritò illud erubescere, horrere, sectam talis horrendi partus matrem deserere, & ad veram Romano-Catholicam Religionem reverti debeat, &c.


LXV. Quid enim Ariani horroris, quid Nestoriani impietatis, quid Eutychiani confusionis, quid Monothelitæ corruptionis, quid absurditatis unquam alij excogitarunt hæretici, quod hoc in se ubiquitatis monstrum mundo non ostentat? Utpote quod non solum Catholicorum, sed ipsorum Sectariorum; imò nonnullorum Lutheranorum judicio omnes Christianæ fidei articulos oppugnat, labefactat, pestumdat. Et tale, inquam, illaudeabile, imò apud orbem universum abominabile dogma, vos Lutherani, meritissimo jure detestimini, idq; ex intimo corde execrati ad Romano-Catholicam fidem revertamini & cælestem Ecclesiæ doctrinam, ipsamq; veritatem cum Chalcedonensi Concilio profiteamini in hæc ipsius verba: *Credimus JESUM Christum Dominum Unigenitum in duabus naturis inconfusibiliter, inconvertibiliter, indivisibiliter, inseparabiliter agnoscendum, nullâ Naturarum differentiâ sublatâ per unionem, sed salvâ magis utriusq; Natura Proprietate.* Adduximus ista verba jam supra, sed digna sunt,

quæ hic Lutheranis in memoriam redigantur. Plura apud P. Gregorium de Valentia in Opere controverſifico à fol. 233. P. Forerum, & alios contra Ubiquitas videri poſſunt.



## ECCLESIA.


**C**HRIſTI Regnum eſt Eccleſia, qua pluribus modis ſuperat univerſa Mundi Regna; Auſtoritate, quia à Chriſto fuit condita, & in Sponſam dilectiſſimam aſſumpta: Vidi Civitatem Sanctam, Jeruſalem novam descendentem de Cælo paratam ſicut Sponſam ornatam viſo ſuo. Apocal. 21. v. 2. Potentiâ & Robore: Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Matth. 16. v. 18. Flore & Uberratis felicitate: Florebit quaſi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætanda & laudans Iſai. 35. v. 1. & 2. Florebit ſcilicet Legibus & Præceptis optimis: Ceremoniis & Sacramentis ſaluberrimis: Sapientiâ & Scientia præſtantiſſimis: Gloria & Honore maximis: Virtute & Sanctitate pulcherrimis: Sanctis ac Beatis innumerabilibus &c. Cum igitur de Chriſto hætenus egerimus, nunc ad ejus Regnum Eccleſiam progredimur, & tela, qua hæretici in eam ejaculantur, ſequentibus Controverſijs repellemus, & infringemus.



## CONTROVERSIAM XV.

QUID SIT ECCLESIA, ET  
quanam illius ſint Membra?

**D**E Eccleſia univerſim loquendo tria in quaſtionem veniunt. Quidnam ſit Eccleſia? Qualis ſit? & Quomodo vera DEI Eccleſia à falſis Sectis dignoſcatur? Nunc de Primo agere incipimus.



### PARS PRIOR

### DOCTRINA CATHOLICORUM.

**I.** Eccleſia eſt nomen Græcū, Latine idem, ac proinde ſignificat Cœtum, ſeu Congregationem Evocatorum. Triplex autem poſſimum eſt uſus in Sac. Scriptura ejus vocis. 1. ſed rariuſ pro loco, in quo evocati congregantur. Judith. 6. v. 21. Convocatus eſt totus populus, per totam noctem intra Eccleſiam orarunt. 2. Pro quocunq; Cœtu tam Fidelium quàm Infidelium Pſal. 25. v. 5. Odiſſi Eccleſiam malignantium; aliquando verò pro Cœtu Sanctorum tantum. Pſal. 149. v. 1. Laus ejus in Eccleſia Sanctorum. 3. Pro Cœtu Fidelium ſolum, vel univerſali per univerſum orbem, quo modo Chriſtus ad Ephes. 5. v. 23. dicitur Caput Eccleſie: vel particulari uniuſ Provinciae, ſic Paulus 2. ad Corinth. 1. v. 1. Scribit: Eccleſia Dei, qua eſt Corin-

thi. Et ad Coloff. 4. v. 15. Eccleſia, qua eſt in domo Nymphae. Et quoniam hæc multitudo Fidelium partim adhuc in terris degit, ac continuo contra Mundum, Diabolum, & Carnem militat: partim jam in Cælo obtentis victorijs triumphat: partim in Purgatorio igne detinetur, ideo communiter apud Catholicos Eccleſia diſtinguitur in Militantem, Triumphantem, & Purgantem. Nos hic de Militante Eccleſia agere incipimus, hoc eſt, de Cœtu Fidelium unâ cum ſuo Capite, quantumvis ſubinde ſoli etiam Rectores appellentur Eccleſie, ut patet ex illo Math. 18. v. 17. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſie; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.

**II. Doctrina Prima.** Eccleſia univerſalis eſt collectio Fidelium. Ita definiunt illam ſummi Pontifices Innoc. III. Capit. 1. de ſumma Trinit. & Nicolaus I. Diſt. 1. de Conſecratione c. 7. Et quoniam Eccleſia comparatur Corpori Chriſti, ad Coloff. 1. v. 24. Sicuti omnis Reſpublica dicitur Corpus morale, ideo ſinguli Fideles vocantur Membra Chriſti. Sed hinc jam ſurgit quaſtio, quid hoc loco ſignificent Fideles, an omnes & ſolos Baptizatos, etiamſi à Fide deſciant, Pontifici non obediant, in excommunicatione Eccleſiaſtica & cenſuris &c. exiſtant?

**III. Doctrina ſecunda.** Probabiliuſ videtur, Catechumenos, hoc eſt, animo credentes nondum tamen Baptiſmo ablutos, eſſe in Eccleſia. Ita Caſtro Lib. 2. de Hæretic. punitione. cap. 8. Suarez. Vaſquez & alij Probatur 1. Auſtoritate ſummarum Pontificum Innocentij & Gelafij, qui loco cit. Eccleſiam abſolute definiunt Congregationem Fidelium. Sed quicunq; vere credit, eſt fidelis, quantumvis nondum baptizatus. Idem Innoc. cap. 3. de Preſbytero non baptizato ſic diſcurrit, Non ſolum per Sacramentum Fidei, ſed per fidem etiam Sacramenti aliquis proli dubio eſſicitur membrum Chriſti, & conſequenter Eccleſia. Summi Pontificibus adſtipulatur S. Auguſt. Tract. 4. in Joann. ubi docet, Catechumenos eſſe in Eccleſia. Probatur 2. Ratione: Tum quia ſi nemo eſt membrum Eccleſie, niſi Sacramentaliter ſit baptizatus, tunc multi fortiſſimi Martyres (quorum triumphis gloriatur Eccleſia) non fuiſſent membra Eccleſie; quippe ante Baptiſmum occiſi. Tum quia quicunq; eſt in tali ſtatu, in quo poſſet ſalvari, ille eſt in Eccleſia. Atqui multi ſunt in tali ſtatu, in quo poſſunt ſalvari, ſcilicet omnis, qui eſt in ſtatu gratiæ, quod ante baptiſmum accidere poſſet v. g. ſi in caſu neceſſitatis & periculi mortis deſit baptiſmi copia. Ergo multi non baptizati ſunt in Eccleſia. Majorem quidem negat Auſtor Libri de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 74. Sed contra omnes alios. Certè D. Ambroſius in obitu Valentiniani Imperatoris aperte affirmat, Catechumenos ſalvari poſſe, de quorum numero erat Valentinianus; jam enim vocaverat D. Ambroſium ad Baptiſmum ſibi impertiendum, ſed ante ejus adventum fuit occiſus.

**IV. Oppoſitum noſtræ doctrinæ tenent Card. Bellarm. Lib. 9. de Eccleſia c. 3. Valentia Tom. 3. D. 1. q. 1. punct. 7. §. 14. Tanner Tom. 3. D. 1. q. 3. n. 54. & alij. Nituntur maximè auſtoritate conciliorum tum Florentini in decreto unionis, tum Trid. ſeſſione 14. c. 5. ubi dicunt, Baptiſmum eſſe januam ad Eccleſiam. Adducit Bellarm. aliquos etiam Patres. Sed reſpon. duplicem eſſe modum exiſtendi in Eccleſia; unum imperfectum, & qua-**

ſi in